T. Hewitt Key

DE

AUGUSTALIBUS ET SEVIRIS AUGUSTALIBUS

COMMENTATIO EPIGRAPHICA.

SCRIPSIT

AUGUSTUS WILHELMUS ZUMPTIUS.

BEROLINI.

E. H. SCHROEDER.

1846.

Manca omnino et imperfecta ad nos pervenit antiquitatis cognitio, magno nunc labore ac studio vix restituenda. Non queror, quod quovis in populo et quovis in tempore accidere necesse est, multa perisse, quae ad vitam privatam vulgaremque victus consuetudinem cognoscendam pertinent. Nam ea aut penitus intelligere non tam interest, aut qualia fuisse videantur, coniectura inveniri potest. Atque in Romanis certe Pompeiorum reliquiae, quae ex terrarum tenebris quasi ab inferis revocantur, multa eius generis demonstrarunt, multa demonstrabunt. Verum etiam in ipsa republica tristissimum est, quam multa aut prorsus lateant aut obscura sint, ut, si summa quaeque non nimis incertis vestigiis persequi liceat, praeclare omnino agi videatur. Quare quae minora sunt, quamvis multum ad cognoscendam universam rempublicam conferant, negliguntur fere aut de opinionibus parum rectis constituuntur. Ut in republica Romana quae consulum, quae praetorum, quae tribunorum plebis potestas fuerit, inde a longo tempore a multis doctisque hominibus disputatum esse invenimus, municipiorum vero ratio fere iacet, etsi ea maxime ad summam rempublicam cognoscendam pertinet. Equites Romani qui fuerint ac quo iure, praeclaris quaestionibus virorum doctissimorum ita excussum est, ut nihil magnopere supersit, de quo magna dubitatio moveri possit: in municipiorum rebus publicis quod simile fuit equitibus Romanis, a paucis leviter disputatum, a nemine recte explicatum esse intelligo. Quamquam haec non ita dico, ut aut negligentiam aliorum incusem aut ipse plus sapere velle videar: necessario enim factum est, ut a summis inciperetur, certaque prius fundamenta quasi constituerentur quam ad minora ascenderetur. Accedit eo natura ipsa fontium, ex quibus haec municipiorum ratio cognosci possit. Nam qui nobis supersunt scriptores, nihil fere de talibus rebus habent vel levissime et aliud agentes commemorant, quibus solis si haec pars antiquitatis niteretur, plurima omnino ignota manerent. Succedunt in hunc locum a scriptoribus derelictum inscriptiones, quarum cum maior numerus sit municipiorum quam urbis Romae, fit, ut illorum ratio ex his si non penitus perspici et demonstrari, sed tamen eo deduci possit, ut satis certa imago adumbretur. Multae igitur tales quaestiones institui possunt, quae vel solis vel maxime inscriptionibus nitantur,

parvae in suo genere et quae fortasse alicui fastidium moveant, sed nec per se poenitendae et ut imperii universi ratio et constitutio cognoscatur, accommodatissimae.

Ex hoc genere cum fuerit ea, quam nuper edidi, disputatio de Lavinio et Laurentibus Lavinatibus, tum erit haec, quae esse debet de Augustalibus, quorum mentionem fieri invenio apud unum scriptorem in uno vel duobus hominibus. At in inscriptionibus Augustalium mentione nihi frequentius, nihil, quod saepius, quale fuerit, quaerendum sit. Qua ex re ipsa, quantopere haec quaestio ad universam municipiorum rationem recte perspiciendam pertinere debeat, apparet. Quare cum pridem eo delatus essem, ut qui et quales Augustales essent, ex inscriptionum undique collectarum memoria inquirerem, externa quasi quaedam accessit causa, ut ea quae scripseram, amplificata paululum et melius digesta ederem. Cum enim nemo antea ita ad Augustales attendisset, ut originem et ius eorum exponeret, nuper A. E. Eggerus, professor Parisiensis libro, quem de scriptoribus historiae Imperatoris Augusti scripsit, [1]) appendicem addidit, quo Augustalium historiam persequitur. Quem cum docte illum quidem et laudabili sane cum diligentia, ut optima voluisse videatur, sed minus recte in hoc argumento versari intelligerem, ne error ille propagaretur, de eadem re quid ipse sentirem, explicandum esse statui, ita magis ut quod verum esset, ponerem, quam ut, quod quaque in re ab aliis peccatum esset, refutarem.

Primus autem omnino copiosius paulo de Augustalibus et seviris Augustalibus (nam hos inter se artissime connexos esse infra demonstrabimus) egit Thomas Reinesius in Epistol. 31, [2]) quaeque parum probabilia invenerat, repetivit in Syntagmate inscriptionum antiquarum (Lipsiae 1682) p. 133 sqq. et alibi. Deinde Henr. Norisius Cardinalis refutata Reinesii sententia dissertatione prima de Cenotaphiis Pisanis, quae dicuntur, cap. V (edit. Ven. 1681) p. 75 sqq. de Augustalibus scripsit, multa recte intelligens, multa, quae exponenda erant, silentio praetermittens. Tum Caspar Aloysius Odericus, [3]) Iesuita Genevensis, nonnulla, quae ab Reinesio minus recte exposita erant, emendavit, alia explevit, Ant. Franc. Gorius variis locis inscriptionum Etruscarum, quas collegit, pauca docte observavit, Steph. Ant. Morcellius de stilo inscriptionum (Patav. 1818) Tom. I p. 18,

---

1) Inscribitur autem liber sic: Examen critique des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste, par A. E. Egger. Paris, 1844. Appendix alter p. 357—410, est de Augustalibus.

2) Thomae Reinesii ad Casp. Hofmannum et Christ. Rupertum epistolae. Lipsiae 1660. Summa autem eius disputationis haec fere est, Augustalium magistratum fuisse municipalem, ex quibus deinde decuriones legerentur: ipsum honorem Augustalitatis a praesidibus provinciarum tribui nomenque inde esse inditum, quod ab Augustis quasi vel Augustorum nomine eo honore donarentur.

3) Titulus libri doctrina plenissimi hic est: *C. A. Oderici, Genuensis e societate Iesu, dissertationes in aliquot ineditas veterum inscriptiones et numismata. Accedunt inscriptiones et monumenta, quae extant in bibliotheca monachorum Camaldulensium S. Gregorii in monte Coelio, explicationibus illustrata.* Romae 1765. 4.

quae certa et ab omnibus concessa esse viderentur, breviter composuit. Quae cum parum sufficerent et imprimis de origine Augustalium nihil docerent, novam prorsus viam ingressus Io. Casp. Orellius in collectione amplissima inscriptionum Latinarum, quam rerum ordine digestam instituit, ei capiti, quod est de seviris Augustalibus, pauca praemisit, quibus, quae sua sententia esset, magis significavit quam explicavit. Eandem sententiam amplexus Eggerus, quem supra dixi, antequam de honoribus et oneribus Augustalium exponit, multa de Laribus Augustis eorumque cultu habet, a quo totam Augustalitatem repetendam esse existimat.

A quorum sententia ratio huius disputationis fert, ut incipiatur. Dicit igitur Orellius quaestionem omnem de seviris Augustalibus ducendam esse ex scholiastis Horatii ad Serm. II, 3, 281, quorum Porphyrio sic dicit: *Ab Augusto enim Lares, id est dii domestici, in compitis positi sunt, ex libertinis sacerdotes dati, qui Augustales sunt appellati*, similiterque Acro: *Iusserat enim Augustus in compitis deos Penates constitui, ut studiosius colerentur. Erant autem libertini sacerdotes, qui Augustales dicuntur.* Eaque in re eximiam Augusti artem Orellius deprehendit, qua libertinorum animos sibi devincire voluerit. Hanc de Augustalium origine opinionem priusquam refutemus ita, ut convenire cum ea negemus, quae de iis traduntur, ipsa illa, quae a scholiastis narrantur, quam fidem habeant vel quomodo intelligenda sint, consideremus.

Primum quod de origine nominis *Augustalium* docent, parum credo. Quicquid enim ad sacra pertinet, cum Augustale dicitur, ideo dicitur, quod in honorem Augusti, non quod ab Augusto institutum est, ut infra dicemus *de sodalibus Augustalibus, de Claudialibus, de Flavialibus, de Traianalibus*, notaque sunt *Augustalia*, quae a. d. IV Id. Oct. in honorem Augusti celebrabantur.[1] Deinde non recte scholiastae ita videntur tradere, quasi Augustus novum aliquem morem instituerit, non vetustum revocarit. Neque enim dubium est, quin ad eandem rem pertineant, quae Sueton. narrat in vita Aug. c. 31 *Nonnulla etiam ex antiquis cerimoniis paulatim abolita restituit, ut Salutis augurium, Diale flaminium, sacrum Lupercale, ludos saeculares et compitalicios*, et paulo post *Compitales Lares ornare bis in anno instituit, vernis floribus et aestivis*, de eademque re narrat Ovid. Fast. V, 128—148, qui ait ab Augusto revocata prisca religione Kalendis Maiis Laribus Praestitibus i. e. iis, qui domibus et urbi praesiderent, unde dii domestici a Porphyrione appellantur, in compitis signa esse

1) Nec fere aliter usurpatur *Augustalis*, nisi de sacris rebus. Praefectus quidem Aegypti Augustalis dicitur non ante medium saeculum quartum p. Chr. Singulare prorsus est, quod Vegetius tradit de re militari II, 7 *Augustales* (tribuni) *appellantur, qui ab Augusto ordinariis iuncti sunt; Flaviales item, tamquam secundi Augustales, a Divo Vespasiano sunt legionibus additi.* Nec tamen ideo existimo nominatos esse aut Augustales aut Flaviales, quod ab Augusto aut Vespasiano instituti essent, sed quia ad eorum usum peculiarem instituti erant. Constat enim ad multas res, in quibus singularis vel fides vel fortitudo opus esset, principes uti consuevisse tribunis.

posita festumque vernum eo die celebrari significat. De genere venerationis nec Suetonius nec Ovidius narrat, ut scholiastae soli de libertinis sacerdotibus tradiderint.

Quae res quo rectius intelligatur, ab principio, quo instituta esse dicitur, repetenda est. Narrat autem Dionys. in antiq. Rom. libr. IV, 14 sic de Servio Tullio: ἔπειτα κατὰ πάντας ἐκέλευσε τοὺς στενωποὺς ἱερὰς ἐγκατασκευασθῆναι καλιάδας ὑπὸ τῶν γειτόνων ἥρωσι προνωπίοις (i. e. Laribus Praestitibus), καὶ θυσίας αὐτοῖς ἐνομοθέτησεν ἐπιτελεῖσθαι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, πελάνους εἰςφερούσης ἑκάστης οἰκίας. τοῖς δὲ τὰ περὶ τῶν γειτόνων ἱερὰ συντελοῦσιν ἐν τοῖς προνωπίοις οὐ τοὺς ἐλευθέρους, ἀλλὰ τοὺς δούλους ἔταξε παρεῖναί τε καὶ συνιερουργεῖν, ὡς κεχαρισμένης τοῖς ἥρωσι τῆς τῶν θεραπόντων ὑπηρεσίας, ἣν ἔτι καὶ καθ' ἡμῶς ἑορτὴν ἄγοντες Ῥωμαῖοι διετέλουν, ὀλίγαις ὕστερον ἡμέραις τῶν Κρονίων, σεμνὴν ἐν τοῖς πάνυ καὶ πολυτελῆ, Κομπιτάλια προςαγορεύοντες αὐτὴν ἐπὶ τῶν στενωπῶν· Κομπίτους γάρ τοὺς στενωποὺς καλοῦσι καὶ φυλάττουσι τὸν ἀρχαῖον ἐθισμὸν ἐπὶ τῶν ἱερῶν, διὰ τῶν θεραπόντων τοὺς ἥρωας ἱλασκόμενοι, καὶ ἅπαν τὸ δοῦλον αὐτῶν ἀφαιροῦντες ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἵνα τῇ φιλανθρωπίᾳ ταύτῃ τιθασσευόμενοι, μέγα τι καὶ σεμνὸν ἐχούσῃ, χαριέστεροι γίνωνται περὶ τοὺς δεσπότας, καὶ τὰ λυπηρὰ τῆς τύχης ἧττον βαρύνωνται. [1]) Habes antiquum morem Larum venerandorum, quem ad suum usque tempus servatum esse scribit Dionysius, accurate et diligenter explicatum. Sacerdotum tamen nulla mentio. Qui cuius generis fuerint, aliunde colligi potest. Compitalia enim, quae Dionysius habet, eadem commemorat Cic. in Pis. 4, 8, narrans anno 58 a. Chr., L. Pisone A.. Gabinio cos., ipsis Kal. Ian. contra senatus consultum permittente altero consule, factos esse ludos compitalicios; nam anno 68 a. Chr. sublatos esse senatus consulto, L. Metello Q. Marcio cos. Explicat haec Asconius in Pison. p. 7 ed. Orell., L. Metello Q. Marcio cos. sublata esse collegia, quae adversus rempublicam esse viderentur. ***Solebant autem magistri collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorum faciebant compitalicios praetextati, qui ludi sublatis collegiis discussi sunt.*** [2]) Nam vetera sacra, sine ludis illis, quos seditiosi quidam homines addiderant, etiam illo tempore, quo sublata erant collegia, constitisse solitoque more celebrata esse documento est Cic. ad Att. III, 3. [3]) Civilium demum bellorum turbae his sacris, ut aliis multis, aut finem aut damnum videntur attulisse, ut ea ab Augusto revocari opus esset. Hoc intelligitur, nulla libertinorum mentione, quamdiu libera fuit respublica, Larum sacerdotes, si

---

1) Iam ante Servium Tullium Tarquinius Priscus ludos Laribus instituit, quos cur fecerit, narrat Plin. nat. hist. XXXVI extr., sed non perpetuos.

2) Quamquam non refert ad hanc quaestionem, utro modo intelligatur, minus tamen recte videtur fieri ab Orellio quod illa *compitalicios praetextati* ab iis, quae proxima sunt, interpunctione seiuncta, refert ad magistros collegiorum; pertinent enim ad magistros vicorum, ludique collegiorum fiebant illi quidem in compitis et diebus compitaliciorum, sed non vocantur proprie compitalicii. Praetextatos autem fuisse magistros vicorum ludis compitaliciis constat etiam ex Dion. Cass. LV, 8, qui iis ἐσθῆτα ἀρχικήν tribuit.

3) Eadem sacra, sed postquam Romae collegia P. Clodii opera restituta sunt, commemorat Cic. ad Att. VII, 7.

ita appellari placet, fuisse magistros vicorum. Eosdemque fuisse Augusto imperante et deinceps iam demonstrandum est.

Quamquam id fieri non potest nisi a Laribus Compitalibus digressi ad Lares Augustos veniamus. Nam cum apud scriptores neutri commemorentur, in inscriptionibus Compitalium exigua est memoria, ut in titulo Magontiacensi apud Fuchs. hist. Magont. I, 64 (Orell. n. 1664; Steiner. Cod. inscript. Rhen. n. 482) et in titulo Veliterno apud Cardin. Inscript. Velit. p. 24 (ex Marin. Act. frat. Arv. p. 543; Orell. n. 1654):

1.	2.
LARIBVS.	LARIBVS.
COMPETALI	MAG. D. S. D.
BVS. SIVE	M. HISTVMENNIVS.
QVADRIVI	M. L. FLACCVS.
. . . . [1]	A. ALBINVS. Ↄ. A. L.
	NICEPOR. [2]

Hinc eorum Larum, qui antea in honore fuerant, cultum sub imperatoribus prope evanuisse apparet, in quorum locum successerunt Lares Augusti, necessario illi quidem. Nimirum tota Larum religio, ad quam Dionysius imprimis servos adhibendos esse tradit, ni fallor, hanc habet quasi sententiam, ut homines ii, qui nullas suas domos, nullosque suos Lares in iis haberent, cum urbe tamen quodammodo coniungerentur, ea numina venerando, quae praesident aedibus et toti urbi. Hoc sufficiebat, quamdiu libera erat respublica. Cui ubi imperatores praeesse coeperunt, accedere oportebat eam religionem, ut imperatoris ipsius, ut Augusti Lares cultu divino afficerentur. Nam imperator totam civitatem continebat, in eo uno patriae suae quandam imaginem cives spectare atque adorare coeperunt. Quare non tam adulationem, quam excusatam multarum aliarum rerum exemplo consuetudinem dixerim, quod Laribus veteribus abolitis extiterunt ***Lares Augusti***, non inducti illi quidem imperatoris iussu, sed civium principis salutare imperium venerantium caritate. Hoc ita factum esse, ipse Ovidius Fast. V, 145 significat ***Mille Lares geniumque ducis qui tradidit illos***, ***Urbs habet et vici numina trina colunt***. Addito igitur genio Augusti Lares facti sunt Augusti. Eorum qui cultus fuerit, inscriptiones ostendunt, ut haec posita anno 2 ante Chr., apud Grut. p. 106, 7:

---

1) i. e. ***Quadrivialibus***; nam sacellum illud positum erat in quadrivio. Quis titulum posuerit, incertum est.

2) Ideo maxime attuli, ut adnotarem, quod vs. 2 est D. S. D., non recte a Marinio explicari *de senatus sententia*, sed rectius a Cardinali *de suo dederunt*, quod signis illis indicari posse constat. Nam infra imprimis ex Pompeianis nonnullis titulis demonstrabimus, si quod sigillum vel aliud quid statuerent tales magistri, statuisse iussu II virum, non decurionum. Similiterque Romae eius magistratus arbitrio, cui ea pars urbis obvenerat, statuere aliquid solebant, non ex senatus consulto. Num autem magistri illi Larum iidem fuerint vicorum, incertum est.

IMP. CAES. AUGUSTO. XIII. M. PLAUTIO. SILVAN. COS.
D. OPPIVS. Ɔ. L. IASO. D. LVCILIVS. D. L. SALVIVS. L. BRINNIVS. Ɔ. L. PRINCEPS. L. FVRIVS. L. L. SALVIVS.
MAG. VICI. SANDALIARI. [1])
LARIBVS. AVGVSTIS.

Intelligimus, sub imperatoribus vicorum magistris eadem ratione curam fuisse Larum Augustorum, qua iisdem fuerat in libera republica Larum Compitalium.

Et quoniam semel de Laribus Augustis magistrisque vicorum, sacerdotibus Larum, dicere coepimus, pauca addemus ad rationem horum magistrorum cognoscendam. Incredibile est, quanta per totum imperium Romanum in magna varietate fuerit similitudo, quae cum etiam in parvis rebus intelligatur, documento est, quam admirabiliter tota res publica ab initio instituta sit. Consules Romani suos habebant fastos, ex iisque anni publice numerabantur: similiter habebant II viri in municipiis, similiter cum alii multi, tum hi ex infima plebe constituti, de quibus dicimus, magistri vicorum suamque diversam ab aliis annorum numerandorum rationem sequebantur. [2]) Cum enim reipublicae Romanae magistratus Kalendis Ianuariis magistratum inirent, indeque publica annorum computatio fieret, ipsi Kal. Augustis inire solebant. Demonstrant id inscriptiones duae, quarum priorem habent Murat. p. 85, 6 et Gudius p. 63, 4 (secundum eos Orell. n. 1659 et 3220), sed diversa ratione et neuter ita, ut satis recte descripta esse videatur accuratissime Marin. in epistola ad Guattanium in mon. antiq. ineditis anni 1786 p. 86:

LARIBVS. AVGVSTVS. G . . . . I. SAC . .
O RVBRIVS. SP. FL. AVFIDIVS. CN. . . . . DICINIV . .
COL. POLLIO. FELIX . . . . . ILEROS . .
A. ISTE OVI. R. AVGSTIS. PRIMI. MAG. . . ERVNT.

quae rectissime Marinius sic explicat atque emendat: *Laribus August(i)s G(enioque August)i sac(rum. Q) Rubrius Sp. F. Col. Pollio, L. Aufidius Cn. (F.) Felix, . . Diciniu(s Ph)ileros (m)a(g)ist(ri q)ui (K) Aug(u)stis primi mag. (ini)erunt.* Altera a Fabrett. p. 465, 96 (Orell. n. 1658) allata haec est:

LARIB. AVG.
MINISTRI.
QVI. K. AVG. PRIMI. INIERVNT.
ANTIGONVS. M. IVNI. EROTIS.
ANTEROS. D. POBLICI. BARNAE. 5

---

1) Vicus Sandaliarius, ut ex Grut. p. 79, 5 discitur, regionis quartae, est idem, in quo Augustus ex stipe a populo Kal. Ian. collata Apollinem Sandaliarium dedicavit (Suet. in Aug. c. 57). Diversus ab eo est is vicus, qui dicitur Apollinis, quem in regione decima fuisse nobilis regionum catalogus apud Grut. p. 250 docet. Quare corrigendus Burmannus ad Suet. l. l.

2) Eodem pertinet, quod supra diximus magistros vicorum certis quibusdam diebus praetexta et lictoribus binis (Dio LV, 8) usos esse, in vicis quidem suis; nam extra eos irrisui fuissent.

EROS. A. POBLICI. DAMAE.
IVCVNDVS. M. PLOTIANI. EROTIS.

Nam ministri vicorum magistrorum si Kal. Aug. munus inierunt, item certe ipsi magistri.[1]) Ministros autem servos esse apparet, publicos, opinor; nam servitia publica vicorum magistris addita esse narrat Dio LV, 8, quibus quin ad sacra Laribus faciunda uti potuerint, dubium esse non debet. Quae igitur genitivo casu adduntur nomina, magistrorum sunt, quibus singulis singuli servi apparebant. Atque ita cum hi magistri alio die atque ceteri magistratus inirent, novam etiam annorum numerandorum rationem constituerunt ab eo tempore, quo primum ab Augusto instituti sunt. Institutos autem esse narrat Dio LV, 8 anno 7 a Chr. (747 urb. cond.), [2]) cum quo tempore prorsus congruunt, quae ex inscriptionibus colliguntur. Ut apud Grut. p. 79, 5 (Orell n. 18) est hic certus et accurate descriptus titulus:

GERMANICO. CAESARE. } COS.
C. FONTEIO. . . . . . ITONE. }
K . . . AN.
SIEIAE. FORTVNAE. AVG.
SACR.
SEX. FONTEIVS. Ɔ. L. TROPHIMVS.
CN. POMPEIVS. CN. L. NICEPHOR.
MAG. VICI.
SANDALIARI. REG.
IIII. ANNI. XVIII.
D. D.

Germanicus Caesar et C. Fonteius Capito (hoc enim nomen explendum esse apparet) consules

---

1) Paulo obscurius est, quid sit, quod *primi* dicuntur magisterium vel ministerium inisse. Similiter apud Grut. p. 40, 14 (p. 74, 4) est magister vici, qui *Kal. Aug. primus magisterium iniit* et apud Mur. p. 203, 5 tres magistri vici nominantur, qui *K. Aug. primi magisterium inierint*. Nec tamen recte ab eo hoc explicatur. Censet enim aut hoc eo pertinere, quod illi vere primi omnium i. e. eo ipso anno, quo magistri vicorum ab Augusti instituti sunt, inierint magisterium (neque ullus talis titulus notus est cum certa temporis significatione) aut statuendum esse, partem magistrorum Kal. Ian. inisse, partem Kal. Aug., hosque propterea quod mensis Augustus appellaretur, maiore in honore esse habitos. Hoc nec ratione ulla nititur et per se parum probabile est, illud ideo non credo, quod in aliis similibus sacerdotibus tamquam honorem addi invenio, primos eos inisse, ut in duobus titulis Fabrettianis, quos citat Egger., apud Orell. Collect. Inscr. II p. 371, ut in Augustalibus ipsis, ex quibus nonnullos primos creatos esse infra demonstrabimus. Quare ex similitudine maiorum magistratuum Romanorum statuendum est, ut in consulibus honori fuit, priorem fieri, ut in praetoribus, ut in quaestoribus gradus quidam renunciationis erant, item in his vicorum magistris et quaternos quotannis primos et ex quattuor rursus unum primum factum esse et primum munus inisse.

2) Breviter suo more nec tempore notato Suet. in Aug. c. 30 *Spatium urbis in regiones vicosque divisit instituitque, ut illas annui magistratus sortito tuerentur, hos magistri e plebe cuiusque viciniae lecti.*

fuerunt anno 12 p. Chr., cuius anni Kal. Ian. qui magistri vicorum sunt, cum dicantur esse anni duodevicesimi, principium aerae intelligimus post Kal. Ian. anni 7 a. Chr. incidere. [1]) Atque in hoc quidem titulo duo modo ex quattuor magistris vici Sandaliarii nominantur, in aliis omnes quattuor, ut in hoc, quem exempli causa affero, qui est apud Grut. p. 106, 6 (Fabrett. de columm. Trai. p. 273 et in inscript. p. 104; Maff. Mus. Veron. p. 101, 1), [2]) expletum a me, quantum fieri potuit:

LARIBVS. AVG. ET. GENIS. CAESARVM. [IMP. CAES. DIVI. VESP. F. DOMITIANO. AVG. GERM. TRIB. POT. IIII. COS IX. DESIGN. X. P. P. PERMISSV. A. ANNI. CAMARTIS. T. . . . . . [PRAETORIS. REG. I. HONORIS ET. VIRTVTIS. MAGISTRI. ANNI. LXXXXII. A. S[OLO. AEDICVLAM. VETVSTATE. DILAPSAM. RESTITVERVNT. C. IVLIVS. C. L. ZOSIMVS. M. BIRRIVS. M. L. HIERVS. M. B . . . . (duo nomina libertinorum).

Restitui hunc titulum secundum alium similem apud. Mur. p. 315, 5 (ibid. p. 355, 1; Donat. p. 151, 3; Orell. n. 782), qui positus est extremo anno 100 p. Chr. imperatori Traiano in aedicula *Laribus Augustis et Geniis Caesarum* dedicata, quare in ea annus centesimus septimus vicimagistrorum vel commemoratur vel supplendo faciendum est, ut commemoretur. [3]) Quamquam in illo, quem posuimus, titulo difficultas quaedam est in ipso annorum numero. Consul enim IX, designatus X, Domitianus fuit extremo anno 83 p. Chr., qui annus est nonagesimus primus magistris vicorum, non secundus, quare ita aut scriptum fuisse aut, si sculptorem errasse placet, debuisse scribi censeo. Possum pauca alia monumenta huius religionis, qualis in urbe Roma fuit, afferre; verum id et minus ad disputationem nostram universam pertinet et Eggerus in libro eo, quem supra laudavi, p. 366 magna sane cum diligentia omnia, ubi invenirentur et quotus in quoque annus magisterii commemoraretur, collegit; quare totum hunc locum, a me dudum scriptum, praetermissisem, nisi quaedam accuratius demonstrari posse existimassem.

Haec autem Larum Augustorum religio quantopere continuo extra urbem per municipia Italiae provinciasque propagata sit, documento est titulus hic Perusinus, ab Orell. n. 2425 allatus: [4])

1) De Seia Fortuna vide quae colligit Orell. ad n. 18. Fortunae Augustae magistros etiam Pompeiis fuisse constat.

2) Maffeius minus recte hunc titulum videtur descripsisse, siquidem ab initio versuum significat nonnihil deesse, quod nec ceteri, qui ediderunt, tradunt nec per se ipsum probabile est.

3) Quamquam *praetoris* mentionem fortasse non debui supplere. Fuit enim A. Annius Camars aut praetor aut aedilis aut tribunus plebis. Nam omnibus his curam quattuordecim regionum sòrtito mandari scribit Dio Cass. LV, 8: *καίτοι καὶ ἐκείνων (τῶν ἀγορανόμων) καὶ τῶν δημάρχων τῶν τε στρατηγῶν πᾶσαν τὴν πόλιν, εἰς δεκατέσσαρα μέρη νεμηθεῖσαν, κλήρῳ προςταχθέντων· ὃ καὶ νῦν γίγνεται.* Vicus autem Honoris et Virtutis, qui nomen habebat a nobili templo illo, in prima regione ponitur in eo quem supra dixi vicorum catalogo apud Grut. p. 250.

4) Nolo uti alio titulo apud Grut. p. 107. 2. in quo Lares Augusti eorumque magistri Veronae com-

C. CAESARE. AVG. F. L. PAVLO. COS.
LARES. AVGVSTOS.
Q. NVMISIVS. Q. L. LECTO.
L. SAFINIVS. L. L. HILARVS.
SODALIS. C. MODI CIMBRI. SER.
AESCHINVS. OCTAVI. M. SER.
MAGISTR. DE. SVO. F. C.

Posita est haec inscriptio anno 1 p. Chr., septem annis post restitutam Romae Larum Augustorum religionem magistrosque vicorum. Quamquam qui hic appellantur magistri Larum, non vocantur iidem vicorum nec fuisse puto. Nam etsi etiam in municipiis vicorum magistros fuisse constat, [1]) haud scio tamen an illo tempore nondum instituti fuerint. Verum ceteram rationem eandem esse intelligimus: habent singuli servos suos, incertum est, utrum publicos an privatos suos quisque, quibus in sacris faciendis uterentur tamquam ministris, [2]) ut item *ministri Larum Augustorum* Nolae incerto tempore reperiuntur apud Orell. n. 2464. Alios *magistros Augustales*, quos ad ipsos hos Lares Augustos pertinere demonstrabimus, infra afferemus. Mansitque hic cultus usque ad extremos imperatores, qui vetera sacra amplecterentur; nam titulum apud Maff. Mus. Ver. p. 104, 3, qui positus est *Laribus Augustorum Dominorum nostrorum ac Caesarum*, ad Constantini fere aetatem pertinere apparet.

Verum ut redeat disputatio mea ad id, quod huic quaestioni propositum est, qualis Larum et Larum Augustorum religio per totum imperii Romani tempus fuerit, intelligitur, in qua quid imperator Augustus novi instituerit, apertum est. Magistros vicorum ex antiquitate revocavit, indidem revocavit ministros servos; unum novavit, quod bis in anno Lares ornari iussit, semel Maio mense, tum Augusto. [3]) Iam etiam quid scholiastae Horatiani, quos supra citavi, voluerint, perspici potest. Non verum vel parum accurate dictum est, quod aiunt ab eo Lares in compitis esse positos, cum sint restituti, nec magis verum est, quod dicunt liber-

---

memorantur anno 1 ante Chr. Nam male ex duabus vel tribus inscriptionibus videtur esse concinnatus. Priorem certe eius partem video esse petitam ex titulo apud Maff. Mus. Ver. p. 104, 3 (Grut. p. 1074, 14), posteriorem ex eo, qui est apud Grut. p. 107, 1. Ipsam autem hanc, quam attuli, inscriptionem habet etiam Grut. p. 1075, 2, sed tamquam Neapolitanam et mendose descriptam.

1) Vide imprimis Bart. Borghesii disputationem doctissimam in libro Feae, quo Museum Estense describit (Paduae 1837) p. 12 sqq.

2) Sculptoris igitur errore in titulo vs. 6 scriptum esse opinor OCTAVI. M., cum esse oporteat M. OCTAVI. Discedo autem magnopere ab Orellii sententia (ad n. 2423) et Eggeri l. l. p. 365, qui magistros Larum Augustorum nonnunquam servos fuisse statuunt. Nam quod unum alterum eiusmodi exemplum affert Orellius ex Mur. p. 970, 7, nec ad Lares Augustos nec omnino ad Lares publice cultos pertinet, sed ad privatos, quos frequenter superstitiosa religione affectos esse constat. Multo autem minus hinc Eggerus colligere debuit, etiam magistros vicorum Romae nonnunquam fuisse servos.

3) Iterum enim Augusto mense ornatos esse recte videtur Eggerus l. l. p. 371 colligere ex Ovid. Fast. V, 129 sqq.

tinos datos esse sacerdotes. Immo erant vicorum magistri, qui cum antiquitus, quamquam tum quoque de plebe lecti, sine dubio ingenui fuissent, iam sub primis imperatoribus libertini esse consuerunt. Discimus id maxime ex nobili illo catalogo, qui supra saepius a nobis citatus est, apud Grut. p. 250, in quo qui recensentur vicorum magistri, prope omnes libertini, perpauci ingenui sunt. [1])

Ex hac igitur Larum Augustorum religione, quam hoc loco explicavimus, Augustalium, quorum mentione omnes totius imperii Romani tituli redundant, originem repetunt Orellius et Eggerus. Nec tamen aut rationem ullam eius sententiae afferunt aut rem, quomodo fieri potuerit, demonstrant. Nam quod solum posuit Eggerus l. l. p. 377, inde ab origine Augustalium sacerdotium coniunctum apparere et in urbe Roma et in provinciis cum muneribus vicimagistrorum, statuit hoc nullo prorsus documento addito, ac ne illud quidem scholiastarum Horatianorum testimonium urget, quod et parum per se accuratum et aliter intelligendum esse docuimus. Ita cum nulla sit ratio, qua illa de origine Augustalium opinio defendatur, aliquas afferam, quibus oppugnetur. Primum nunquam vicorum magistri in inscriptionibus appellantur *Augustales*, idque ipse concedit Eggerus p. 380. Deinde, cum incredibilis Augustalium numerus ubique per Italiam et per provincias inveniatur, nondum ullus, Romae qui fuerit, repertus est, ubi cum fuisse constet magistros Larum Augustorum, si hi iidem fuerunt Augustales, maximum eorum numerum esse oportuisse convenit. Tum nullo modo ullum vicimagistrorum fuisse collegium demonstrari potest, at fuit ubique Augustalium. Tum nulli fuerunt Augustales, quamdiu vixit Augustus, at Larum Augustorum magistri fuerunt etiam post decessum eius, cum dudum per totum imperium Augustalitas propagata erat. Multae aliae nec minus graves causae, cur Larum Augustorum religionem prorsus non cohaerere cum Augustalibus statuendum sit, infra in verà Augustalitatis ratione demonstranda efficientur, quas hic non praecipiendas esse existimo. Ita cum Orellii Eggerique sententia non modo nulla ratione ac ne levissimo quidem illo scholiastarum Horatianorum testimonio nitatur, sed etiam pugnet cum iis, quae de ipsa Augustalitate nota sunt, faciendum videtur esse, ut totam rem ab alio initio et ab alia origine repetamus.

Quod antequam faciamus, ne quam rem, quae ad Augustalitatis originem explicandam pertineat, quae certe, etiamsi ab ea diversa plane est, confert tamen aliquid ad venerationem Augustorum cognoscendam, praetermittamus, commemoranda est breviter Millinii sententia, a qua ne Orellius quidem prorsus abhorret. Narbone enim, in celeberrima Galliae Narbonensis colonia, inventus est titulus admodum memorabilis, diligentissime descriptus a Millinio, [2]) ex

1) Dio Cass. LV, 8 et Suet. Aug. c. 30 *de plebe* narrant esse factos magistros vicorum, qui cum, si posset fieri, potius ingenui crearentur, essent autem prope omnes libertini, perspici potest, cuius tum generis plebs Romana, quantaque hominum ingenuorum inopia fuerit.

2) In libro, quo itinera in Gallia meridionali a se facta narrat, Tom. IV. p. 375.

eoque ab Orellio n. 2489 expressus, in quo est dedicatio arae Augusti. Quem ipsum repetere nihil attinet (neque enim ulla est lectionis varietas), sed in explicatione sunt quaedam, quae et diu controversa fuerint inter viros doctos necdum satis explicata esse videantur. Posita est ara illa anno 11 p. Chr. (764 ab urb.) T. Statilio Tauro L. Cassio Longino cos., dedicata a. d. X Kal. Oct., i. e. pridie natalicia Imperatoris Augusti, quae ipsa hostiis immolandis aliisque sacris faciendis celebrari volebant. Leges ipsas, quibus ara dedicata est, quae eaedem esse iubentur atque arae Dianae in Aventino, hoc loco praeteribo; [1]) titulus autem arae inscriptus haec habet. Votum suscipit *plebs Narbonensium* i. e. exceptis decurionibus omnes coloni et incolae, et quidem suscipiunt propter beneficium ab imperatore acceptum. Is enim, ut postea est, initio eius ipsius anni, [2]) quo ara dedicata est, *iudicia plebis decurionibus coniunxit.* Hoc quid significet, admodum ambigitur. Orellius dici existimat, iudices, plebis olim partem, decurionatus honore donatos vel in amplissimum ordinem decurionum translatos, allectos esse, quod equidem parum credo. Nam ita magis decuriones quam plebs honorabantur, quae cum antea iudices ex suo numero habuisset, ab illo tempore ex decurionibus haberet. Nec scio omnino tale quid unquam in ceteris partibus imperii Romani accidisse. Immo hoc dici equidem censeo, iudicia plebis decurionibus iniuncta esse; antea vel praefectum iuri dicundo, qui fortasse a praeside provinciae institueretur, vel ipsum praesidem provinciae, qui Narbone commorari solebat, de hominibus ex plebe ius dixisse, tunc coloniam Narbonensem aequatam esse coloniis Italicis, in quibus II viri iuri dicundo praeerant. Sic magnum sane commodum et plebs acceperat, quae a suis hominibus ius acciperet, et dignitate tota colonia aucta erat. Susceptum autem est votum dedicataque ara *numini Augusti* i. e. genio quasi Augusti, non ita ut Augustus vere deus iudicaretur; nam susceptum est *pro Imperatore Caesare Augusto*, *patre patriae, pontifice maximo, tribunicia potestate XXXV*, *coniuge*, *liberis genteque eius, senatu populoque Romano*, *colonis incolisque coloniae Iuliae Paternae Narbonis Marcii,* pro toto quasi imperio Romano, cui praeerat, cuius imago inter homines erat imperator. [3]) Sacra ad

1) Duae res in hac formula dedicationis notabiles sunt, primum quod ab initio quaedam erasa sunt, in quibus Morcellius de stilo inscript. II. p. 40 fuisse opinatur nomina sacerdotum vel flaminum, qui aram dedicarint, quod mihi quidem parum probabile videtur, cum locum potius, in quo posita fuerit ara, significari existimem. Tum in extrema hac lege dedicationis, ubi sunt *uti sies volens propitium*, non debebat Orellius commendare Morcellii lectionem *propitius;* referuntur enim haec ad numen Augusti.

2) Nam in dedicatione arae praescribuntur T. Statilius Taurus L. Cassius Longinus cos., ex quibus hunc Kal. Iul. suffectum esse constat in locum M. Aemilii Lepidi, qui ipse consul nominatur, cum benificium illud coloniae tribueretur.

3) Cf. Suet. Aug. c. 59 *Provinciarum pleraeque super templa et aras ludos quoque quinquennales paene oppidatim constituerunt.* Quae ne existimes eo pertinere, ut ipsum imperatorem divino honore coluerint, ipse Suet. paulo post: *Reges amici atque socii et singuli in suo quisque regno Caesareas urbes condiderunt*, *et cuncti simul aedem Iovis Olympii*, *Athenis antiquitus inchoatam*, *perficere communi*

hanc aram fieri volebant quaternis per annum diebus, primum binis continuis a. d. IX et VIII Kal. Oct., quod ea die Augustum *saeculi felicitas orbi terrarum rectorem edidit*, [1]) deinde a. d. VII Id. Ian., *qua die primum imperium orbis terrarum auspicatus est*, anno 27 a. Chr., cum habita illa oratione, quam Dio Cass. LIII, 3 refert, qua imperium se deponere velle simulabat, confirmatum id recepit a senatu populoque Romano, [2]) denique pridie Kal. Iulias, quia eo die id beneficium, de quo supra diximus, ab imperatore acceperant. Praeesse sacris faciendis iubentur *tres equites Romani a plebe et tres libertini*, *qui hostias singulas immolent et colonis et incolis ad supplicandum numini Augusti thus et vinum de suo iis diebus praestent.* In his seviris, qui ad aram Narbonensium sacrificabant, Morcellius ipsos seviros Augustales, de quibus infra dicetur, Orellius certe originem et principia et sevirum Augustalium et Augustalium invenire sibi videntur. Quorum neutrum rectum esse iudico. Nam ne urgeam, quod certum est, Augustales mortuo demum Augusto institutos esse, constat totum eorum sodalicium a decurionibus profectum ipsosque Augustales ab ordine factos esse; at hanc aram plebs Narbonensis sine decurionibus posuerat, quique ad eam praeerant, erant homines de plebe (vel, ut minus recte Narbonenses dicunt, *a plebe*), altera pars equites Romani, qui non essent decuriones, altera libertini, ut duo quasi plebis genera suos homines ad aram haberent. Denique nunquam omnino eam Augustalium rationem fuisse infra intelligemus, ut aequaliter essent ingenui et libertini.

Quae cum ita sint, ab iis initiis, quae quibusdam hominibus doctis placuerunt, non profectos esse Augustales certum est; iam, quae vera eorum origo fuerit, inveniendum est. Aperit eam Tacit. Annal. I, 54: *Idem annus* (14 p. Chr.) *novas cerimonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio*, *ut quondam Titus Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. Sorte ducti e primoribus civitatis unus et viginti. Tiberius Drususque et Claudius et Germanicus adiiciuntur*, de iisdemque Tac. Hist. II, 95, narrans a Vitellii amicis inferias Neroni factas esse, sic scribit: *caesae publice victimae cremataeque; facem Au-*

---

sumptu destinaverunt, *genioque eius dedicare.* Nam verum est omnino, quod Suet. Aug. c. 52 habet *Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere*, *in nulla tamen provincia*, *nisi communi suo Romaeque nomine recepit*, *in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore.* At vero Dion. Cass. (LI, 20), cum ne in Italia quidem ullum vivum imperatorem a quoquam divino honore affectum esse narret, decipi existimat Olaus Kellermannus in Ott. Iahnii Specim. epigraph. p. 5. Simillima autem huic arae Narbonensium fuit *ara Ubiorum*, item vivo Augusto dedicata, cuius frequens mentio est. Vide Tacit. Annal. I, 57 ibique interpret. Non confero aram Florentinam (apud Grut. p. 228, 8; Orell. n. 686), quam anno 18 p. Chr. dedicatam esse constat.

1) Romae quoque Suet. Aug. 57 narrat ab equitibus Romanis natalem Augusti sponte atque consensu biduo semper celebratum esse.

2) Vide Ol. Kellermannum in Iahnii specimine epigraphico p. 17, et quae ipsi scripsimus in commentario nostro ad monumentum Ancyranum (Berol. 1845) p. 92.

gustales subdidere, quod sacerdotium, ut Romulus Tatio regi, ita Caesar Tiberius Iuliae genti sacravit, denique inter ceteros summos pontifices et sacerdotes, qui ea dignitate sint, ut ludis publice praeesse possint, apud eundem Annal. III, 64 commemorantur *sodales Augustales.* [1])

A Tiberio additum esse hoc sacerdotium scribit Tacitus, brevitatis studio, quia imperatoris voluntas et aperta erat et nihil non valebat, senatu omisso. Neque enim dubium esse debet, quin senatus consultum intercesserit, quo totum sodalicium constitueretur. Atque solebat Tiberius, imprimis principio imperii sui, omnia per senatum agere, praesertim cum hic non de patre suo modo ageretur, verum etiam de ipso. Nam non uni Divo Augusto sacrati sunt sodales Augustales, sed toti genti Iuliae i. e. omnibus, qui ex ea gente usque ad Galbam imperarunt. Documento est et ipsum illud, quod Tacitus l. s. l. commemoravit, sodales Augustales in exequiis Neronis facem subdidisse et ratio aliorum similium collegiorum. Nam eorum omnium imperatorum, qui inde ab Antonino Pio usque ad Alexandrum Severum imperarunt, qui quidem omnino divinis honoribus affecti essent, unum fuisse collegium sodalium demonstravit Bartol. Borghesius. [2]) Antoninus Pius, M. Aurelius et L. Verus, Commodus, Pertinax, Septimius et Alexander Severi, quippe qui adoptione certe unius essent gentis, communes habebant sodales, qui, cum accederet imperator, divinis honoribus affectus, nomine eius veteribus addito testarentur se illius quoque venerationi consecratos esse. [3]) Itemque antea a Tito in honorem patris

1) Semel igitur Tacitus *Augustales* modo nominat, bis dicens *sodales Augustales.* Atque hoc nomen sollemne omnino est solumque in inscriptionibus invenitur.

2) In quaestione doctissima, qua fragmenta fastorum huius collegii felicissime supplevit et explicavit, in Memorie dell' Instituto di corrispondenza archeologica fasc. III. p. 161 sqq.

3) Sic igitur totam seriem bonorum quidem imperatorum, qui fuerunt usque ad Alexandrum Severum, sodales suos habuisse videmus. Quid autem factum est in Nerva? quid in Traiano? quid in Hadriano? De Hadriano disputat Borghesius l. l. p. 164, dubitatque, an *sodales Hadrianales*, qui saepius commemorantur, ut apud Iul. Capitol. in vit. Ant. Pii c. 5 *clypeum Adriano magnificentissimum posuit et sacerdotes instituit;* Spartian. in Hadr. c. 27: *Templum ei* (Antoninus) *pro sepulchro apud Puteolos constituit et quinquennale certamen et flamines et sodales et multa alia, quae ad honorem quasi numinis pertinent*, quales fuerunt L. Rugonius Urinatius apud Maff. Ver. Mus. p. 113, 1 (male Grut. p. 45, 9; Mur. p. 369, 1; Orell. n. 2377 et 2702); Sosius Priscus apud Spon. Miscell. p. 189, 2 (Orell. n. 2761); T. Aelius Naevius apud Gud. p. 112, 2 (Orell. n. 3046); M. Aelius Aurelius Theo apud Grut. p. 1090, 13 (Orell. n. 3174); L. Annius Italicus apud Grut. p. 259, 3 (p 5, 3, Maff. Mus. Ver. p. 237, 2 et 240, 6); L. Fabius Cilo apud Grut. p. 407, 1 (Mur. p. 345, 3); C. Popilius Pedo apud Grut. p. 457, 4; M. Gavius Appalius apud Mur. p. 192, 1; Insteius Flaccianus apud Mur. p. 2021, 6 (si nomen rectum est; nam plura in eo titulo emendanda sunt), alii — dubitat igitur Borghesius, an hi sodales ex eodem fuerint collegio, quod insequentibus imperatoribus usque ad Alexandrum Severum institutum est, motus imprimis titulo Vaticano, quem citat, in quo quidam dicitur *sodalis Hadrianalis, flamen Commodianus;* nam flamines divorum Augustorum constat ex sodalibus eorum esse factos. Verum equidem, ut video nonunquam unum hominem duorum vel complurium fuisse collegiorum sodalem, sic intelligo potuisse fieri, ut aliquis in uno collegio esset sodalis, in altero flamen. Contra

defuncti instituti erant sodales Flaviales, qui cum a scriptoribus non commemorentur, nonnunquam in inscriptionibus inveniuntur. [1]) Quamquam in his non idem factum est, quod in Antoninianis, quos modo dixi, ut peculiares suos sodales acciperent Titus et Domitianus, cum in illo id invidia fratris, [2]) in hoc odium civium prohiberet. [3]) Similiter igitur sodales Augustales toti genti sacrati erant, ut Tiberius et Caligula, quibus nulli divini honores decreti sunt, nullos suo nomine insignes haberent sodales, sed Claudius, qui in deorum numerum relatus est, [4]) Claudiales acciperet. Nam P. Plotius *sodalis Augustalis Claudialis* est in inscriptione Romana apud Fabrett. p. 441, 353 (Orell. 3044) et alius Q. Glitius Agricola *sodalis Augustalis Claudialis* apud Maff. Mus. Ver. p. 213, 6, et quoniam constat a municipiis imitatione expressa esse urbana instituta, ad documentum adhiberi poterit etiam lapis Tridentinus apud Maff. Mus. Ver. p. 114, 3 (Orell. n. 2374), in quo L. Aufillenus appellatur *sevir Claudialis et Augustalis*, pluresque alii infra afferentur.

Tum ex primoribus civitatis sorte lectos esse sodales Augustales unum et viginti Tacitus narrat, [5]) idque ita mansit, ut principes tantum viri in id collegium adsciscerentur. Ipsi im-

---

quae affert ipse Borghesius l. l. p. 165, primum quod Capit. in Marco c. 7 dicens: *et sodales ex amicissimis Aurelianos creavere* novum collegium significare videatur, deinde quod sodales Antoninorum non in templum Divi Hadriani (Capit. eius vit. c. 8), ut par erat, si esset princeps divus eius gentis, sed in templum Divi Pii et Divae Faustinae convenire solebant, denique quod Sosius Priscus, cuius titulum supra citavimus, dicitur *sodalis Hadrianalis*, *sodalis Antoninianus Verianus*, non *sodalis Hadrianalis Antoninianus*, ut moris est in illo multorum divorum collegio, haec, inquam, hoc mihi videntur evincere, ut diversos utique sodales Hadrianales fuisse existimemus a sodalibus Antoninianis. De divinis honoribus Traiano decretis sic Spart. in Hadr. c. 6 *Traiano divinos honores datis ad senatum et quidem accuratissimis litteris postulavit et cunctis volentibus meruit, ita ut senatus multa, quae Hadrianus non postulaverat, in honorem Traiani sponte decerneret.* Sed utrum senatus sodales etiam huic decreverit necne, incertum est; nullam certe eorum memoriam inveni. Neque inveni Nervae, cum flamines fuisse constet, ut *flamen Ulpialis* est apud Grut. p. 393, 6 (Orell. n. 3135).

1) Ut L. Aemilius Carus apud Grut. p. 1025, 2 et is, cuius nomen in titulo periit, apud Orell. n. 364 (Grut. p. 427, 12).

2) Sic enim Sueton. Domit. c. 2 *Defunctum* (fratrem) *nullo praeterquam consecrationis honore dignatus saepe etiam carpsit obliquis orationibus et edictis.* Quare vel hoc nomine ficta est inscriptio, quam Mur. p. 337, 4 (Orell. n. 2376) habet, quam constat praeterea a Ligorio profectam esse.

3) Vide quae Sueton. in Domit. c. 23 narrat, milites conatos esse divum appellare, prohibuisse senatum.

4) Suet. Claud. c. 45 *In deorum numerum relatus est. Quem honorem a Nerone destitutum abolitumque, recepit mox per Vespasianum.* Nero non ipsum honorem divinum ademerat, sed templum Divi Claudii destruxerat, ut Suet. Vesp. c. 9 narrat: *Fecit et nova opera — Divi Claudii templum in Coelio monte, coeptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus deletum.*

5) Certus igitur ab initio fuerat sodalium numerus, sed licebat imperatori pro arbitrio suo augere; neque enim dubium est, quin quod Augusto concessum est (apud Dion. LI, 20) ἱερέας τε αὐτὸν καὶ ὑπὲρ τὸν ἀριθμὸν ὅσους ἂν ἀεὶ ἐθελήσῃ προαιρεῖσθαι προσκατεστήσαντο, idem tributum sit successoribus eius. Cf. Borghes. l. l. p. 172 sqq.

peratores extra sortem et praeter numerum addebantur, quod de Tiberio auctor est Tacitus, de ceteris dubitari non debet secundum ea, quae de imperatoribus in collegium sodalium Antoninianorum adiectis disputavit Borghesius. Adiiciebantur item extra numerum principum liberi, ut Claudius, qui postea imperavit, de quo praeter Tacitum Suet. c. 6 *Senatus quoque, ut ad numerum sodalium Augustalium sorte ductorum extra ordinem adiiceretur censuit*, Drusique, Tiberii filii, quem item Tacitus nominat, insignis est titulus, anno 23 p. Chr. positus, apud Mur. p. 224, 8 (Orell. n. 652), in quo dicitur *sodalis Augustalis.* Germanici ipsius de hoc sacerdotio nulla in inscriptionibus memoria, at filius eius Nero, Caligulae, qui postea imperavit, frater, apud Marin. Act. fratr. Arval. n. 48 (Morcell. de stil. inscript. I p. 84; Orell. n. 2366) [1]) dicitur *flamen Augustalis*, *sodalis Augustalis*, *sodalis Titius*, *frater Arvalis*, *fetialis*, *quaestor ex S. C.* Plenissima haec est honorum sacerdotiorumque, quae hic Nero gessit, enumeratio. Discimus ex ea, in locum Germanici defuncti extra sortem adiectum esse maximum eius filiorum, non quidem continuo anno 19 p. Chr., quo pater decessit, sed insequenti, cum pubertatem ingresso quinquennio ex legitima aetate S. C. remisso (unde h. l. dicitur *quaestor ex S. C.*) quaestura data est. [2]) Saepius alii viri principes, summis senatoriis muneribus conspicui in titulis sodalium etiam Augustalium honore ornantur, ut sub Vespasiano Ti. Plautius Silvanus apud Grut. p. 453, 1 (Orell. n. 750), sub Traiano Q. Glitius Atilius Agricola apud Maff. Mus. Ver. p. 213, 6; sub Hadriano M. Messius Rusticus apud Mur. p. 236, 4 (ibid. p. 320, 1; Orell. n. 2369 et n. 2760); sub Alexandro Severo C. Caesonius Macer apud Grut. p. 381, 1; tum C. Sallius Aristaenetus apud Grut. p. 465, 5 et 6; C. Iulius Asper apud Marin. Act. fratr. Arval. p. 780 et 784 (Orell. n. 2367); L. Volumnius Munatianus apud Grut. p. 35, 13. Verum postrema sodalium Augustalium memoria haud scio an sit in hoc titulo, quem in civitate nova repertum edidit Marin. Act. fratr. Arval. I p. 18, quem expletum mea opera, quantum fieri potuit, addidi:

. . . .
CAESE[RNIO . . F. MACEDONI.
QVINCTI[ANO. CONSVLI. DESIGNATO.
SODALI. AVG[VSTALI. CVRATORI.
VIAE. APPIAE. F[LAMINIAE . . . . . .
LEGATO. LEGIO[NIS. SEXTAE. VICTRICIS.
PIAE. FIDELIS. CO[MITI. AVGVSTI. NOSTRI

1) Eandem, sed non integram habet Murat. p. 188, 3. Ex hac autem vereor, ne fluxerit ea, quam Grut. p. 237, 1 habet, positam a seviris Augustalibus Hispanici alicuius municipii. Certe totam ex Ligorii auctoritate pendere intelligo. Quare non probo, quod Orellius n. 663 sine suspicionis nota recepit. Quamquam in ipsa non magnopere invenio, quod dubitationem movere possit.

2) *Pontificatum* additum esse dicit Tacit. 3, 29, i. e., ut ego censeo, factum esse sodalem Augustalem. Par enim erat eum imprimis sacris gentis Iuliae imbui, praesertim cum senatus (Tacit. 2, 83) decresset, *ne quis flamen aut augur in locum Germanici nisi gentis Iuliae crearetur.*

PER. ORIENTEM. [PRAETORI. IVRI. DICVNDO
INTER. CIVES. ET. P[EREGRINOS. TRIBVNO
PLEBIS. CANDIDA[TO. . . . . PER.
AFRICAM. MAVR[. . . . . . . QVAESTORI
CANDIDATO. T . . . .
L]EGIONES. TR[IBVNO. LEGIONIS. SEXTAE.
VI]CT[R]ICIS. [PIAE. FIDELIS. TRIVMVIRO.
AV]RO. ARGEN[TO. AERI. FLANDO. FERIVNDO.
PAT]RONO. CO[LONIAE . . . .
. . . . D . . . .
. . SERVI . . . .
. . AMIC . . . . [1])

Cuius tituli aetas etsi incerta est, ex *comite* tamen intelligitur, ad tertium fere saeculum p. Chr. accedere. Denique Sueton. Galb. c. 8 Galbam, qui postea imperavit, ob res in Africa et in Germania gestas narrat a Claudio ornamenta triumphalia accepisse et sacerdotium triplex, inter Quindecimviros sodalesque Titios, item Augustales cooptatum.

Quae origo fuerit sodalium Augustalium, quod munus, quae dignitas in republica, fere apparet, reliqua, quae hoc loco quaerat aliquis, incerta; nam nec in quod templum convenire consueverint, nec quibus diebus, nec quo genere sacrificiorum usi sint, constat nullaque omnino eorum memoria praeter ea, quae attuli, superest. [2]) Quomodo igitur hinc profecti sunt illi, de quibus quaestio nostra proprie instituta est, Augustales? Ea ratione, qua omnino municipia constituta sunt, ut, quae Romae essent, cetera oppida imitando exprimerent. Incredibile enim est, quantum haec imitatio, sponte illa quidem suscepta, non legibus ullis aut edictis imposita, in toto imperio valuerit, quantum contulerit ad aequalitatem illam efficiendam, quam tantopere in rebus Romanis admiramur. [3]) Hanc autem imitationem duplicem quasi fuisse intelligo, unam privatam quam dicam, alteram publicam civitatium. Illius testis est Tacit. An-

---

1) In explenda hac inscriptione profecti sumus ab eo, quod Marinius l. l. dicit, videri hunc titulum esse eiusdem hominis, qui apud Bertolium in Antiquitatibus Aquileiensibus p. 302 appellatur *T. Caesernius Macedo Quinctianus consul.* Quem cum ordinarium consulem non fuisse constet, ne quando suffectus quidem fuerit, inveniri potest; sed ausus tamen equidem sum dicere *consulem designatum.* Tum spatium versuum, qui explendi essent, significavit vs. 9, de quo dubitari non potest. *Curator viae Appiae* satis certus est; sed utrum recte addatur *Flaminiae*, an non recte Marin. superesse tradiderit litteram F. (quae si superest, nihil video aliud, quod suppleri possit), discerni nequit. Reliqua quae supplevi aperta sunt, vs. autem 11 quod est AFRICAM. MAVR, explicare nequeo, oriturque nonnulla dubitatio, an in describendo titulo peccatum sit.

2) Convenisse tamen existimo in aedem Divi Iulii, qui princeps erat gentis, ut sodales Antoninianos convenire consuevisse vidimus in aedem Divi Pii, ac de diebus, quibus convenerint, colligi potest ex titulo illo arae Narbonensis, quem supra attuli.

3) Prorsus igitur alienum est a more Romano, quod statuit Eggerus in libro, quem supra laudavi. p. 375, qui cultum Larum Augustorum Italiae et provinciis aut edictis imperatorum impositum esse statuit aut sponte ubique receptum.

nal. I, 73, qui anno 15 p. Chr. paulo postquam sodales Augustales instituti sunt Augustusque divinis honoribus ornatus, narrat Falanium, modicum equitem Romanum, maiestatis accusatum esse, *quod inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Cassium quendam mimum corpore infamem ascivisset*, i. e. quod in collegium quasi id, quod domi suae ex familiaribus suis et amicis constituisset, recepisset etiam mimum corpore infamem. [1]) Talia *cultorum* (sic enim appellabantur) collegia privata non raro inveniuntur cum aliorum deorum, tum imperatorum divorum, quale est hoc in inscriptione, a Grut. p. 246, 9 ex Smetio Inscript. vett. f. 53, 2, qui ipse vidit, allata:

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F.
NERVAE. TRAIANO. AVG. GERM.
DACICO. PONT. MAX. TRIB. POTEST. VIII.
IMP. VIII. COS. V. P. P. OPTIMO. PRINCIPI.
SAGARI. . . . ATRI. MARCELL.
CVLTORES. DOMVS. AVG.

Positus est titulus anno 105 p. Chr. a mercatoribus sagariis, qui tabernas ad theatrum Marcelli habebant, qui privatim inter se collegium cultorum domus Augustae constituerant. [2]) Talia igitur collegiorum simulacra, sive ea tanta erant, ut peculiarem coëundi locum haberent, sive privatis etiam domorum parietibus continebantur, privata excitavit hominum erga Divum Augustum pietas; eo magis, quo gravior Tiberii crudelitas temporumque insequentium calamitas ingruebat. Sed diversa sunt haec ab iis, de quibus quaestio nostra instituta est, Augustalibus, quorum iustum erat collegium, non privata modo coitio. De quo antequam agamus, pauca de universo iure collegiorum praemittenda sunt, ut qua ratione hoc Augustalium collegium institutum sit, intelligatur. Neque id minus faciendum esse arbitror, quod nuper de eadem re

1) Assentior igitur Ernestio potius quam Lipsio, diversa ratione locum Taciti, quem dixi, interpretantibus. Quorum hic non singulas domos collegia sua habuisse putat, sed circumisse domesticatim collegas statis diebus convenientes, quia una domus non satis dives ad omnes recipiendos esset. Sed ita qui potuit fieri, ut Falanius accusaretur, quod in eo collegio esset homo indignus? Ac commemorantur talia collegia in domibus privatis habita etiam in inscriptionibus, ut vide O. Iahn. Spec. epigraph. p. 80.

2) De sagariis vide Ulpian. in Digg. XIV, 4 (de trib. act.), 5 § 15, eundemque ibidem XVII, 2 (pro socio), 52, 4. Etiam in inscriptionibus cum alibi sagarii commemorantur, tum apud Grut. p, 650, 1 *sagarius post aedem Castoris*. Cultores autem domus Augustae dicuntur *imaginum domus Augustae cultores* apud Grut. p. 238, 12 (Orell. n. 758) et *cultores Larum et imaginum domus Augustae* apud Marin. Inscr. Alb. p. 8 (Orell. n. 2410), vel *cultores domus divinae et fortunae Augustae* in lapide Tiburtino apud Orell. n. 1662, in quo titulo obiter commemoro notas HA., quarum explicationem Orellius nesciebat, pertinere ad cultum Herculis Augusti, quem Tibure frequentissimum fuisse constat. Eiusdemque generis fuit cultus Augusti Pompeiis, cuius tanta superest memoria in titulis Pompeianis, ut peculiari disputatione opus sit ad eum explicandum, nam quae Raym. Guarinus (In sacra nonnulla Pompeiorum commentaria duo. Ed. altera Neapoli 1830) de iis exposuit, dubito num sufficere possint.

disputavit Th. Mommsenius in libello, qui inscribitur de collegiis et sodaliciis Romanorum (Kiliae 1843).

Sodalicia cum iam veteribus temporibus, ne turbas afferrent in rempublicam, saepius senatus consultis coërcita essent, [1]) tum ab imperatoribus severioribus legibus astringi coepta sunt. Ita Caesar ad constituendum reipublicae otium *cuncta collegia praeter antiquitus constituta distraxit* (Suet. Caes. c. 42), cuius edictum commemoratur etiam a Ioseph. in antiquitt. Iud. XIV, 10, 8 καὶ γὰρ Γάϊος Καῖσαρ — ἐν τῷ διατάγματι κωλύων θιάσους συνάγεσθαι κατὸ πόλιν, μόνους τούτους (τοὺς Ἰουδαίους) οὐκ ἐκώλυσεν οὔτε χρήματα συνεισφέρειν οὔτε σύνδειπνα ποιεῖν. [2]) Inter bella autem civilia cum multa rursus sodalicia orerentur, Augustus quoque, cum *plurimae factiones, titulo collegii novi, ad nullius non facinoris societatem coirent, collegia praeter antiqua et legitima dissolvit* (Suet. Oct. c. 32). De proximis imperatoribus quid hoc in genere statuerint, nescitur: sub Nerone modo in Pompeiana colonia cum gladiatorio munere turbae magnae cum exitio multorum Nucerinorum, qui ad visendum venerant, ortae essent, senatus re cognita noxios punivit *collegiaque, quae contra leges instituta erant, dissolvit* (Tac. Annal. XIV, 17), ut leges has non ad urbem modo, verum etiam ad Italiam et nescio an etiam ad provincias pertinuisse intelligamus. Quod si incertum fuit etiamtunc, peculiari postea principis edicto constitutum est. Nam Marcianus in Digg. XLVII, 22 (de colleg.) 1, ubi exposuit de licitis et illicitis collegiis, addit id *non tantum in urbe sed et in Italia et in provinciis locum habere Divum quoque Severum rescripsisse.* Quae autem legibus permittebantur collegia? Universe Marcianus in Digg. XLVIII, 22 (de colleg. et corpor.), 3 sic praecipit: *in summa —, nisi ex ex senatus consulti auctoritate vel Caesaris collegium vel quodcunque tale corpus coierit, contra senatus consultum et mandata et constitutiones collegium celebrat.* Quare ut licite in collegium coiretur, in provincia senatoria opus erat senatus con-

---

1) Vide Mommsen. l. l. p. 73 sqq.

2) Non recte Mommsen. l. l. p. 79 a Reimaro ad Dion. LX, 6 narrat hanc legem referri ad Caligulam, quod nec quisquam potet statuere, ipsam qui legerit, nec statuit Reimarus. Ut autem de Iudaeis complectar hoc loco, quae pertinent quodammodo ad collegiorum rationem, ab Augusto quoque haec, quae Caesar concesserat, Iudaeorum iura servata esse intelligitur ex Ioseph XIX, 5 extr. Non servavit Tiberius, qui, ut Tacit. Annal. II, 85, Suet Tib. c. 36, Ioseph. Antiq. XVIII, 3 narrant, quattuor millia Iudaeorum libertini generis sacramento adacta in Sardiniam misit, ceteros Italia expulit. At Gaius Caligula recepit rursus et in collegia coire passus est; neque enim, quod Dio LX, 6 de Gaio narrat, aliter accipi potest. Item Claudius primum fovit, ut ex edictis eius apud Ioseph. Antiq. XIX, 5 extr. constat, sed admisceri et sub Iudaeorum nomine invalescere coeperunt Christiani, qui in collegiorum modum ritu suo conventus celebrabant, unde turbae et tumultus oriebantur. Quos Claudius (Suet. in eius vit. c. 25) urbe expulit, ceteros Iudaeos cum propter multitudinem non posset, prohibuit sodalicia constituere, suo more vivere passus est, ut Dio l. l. tradit Sic concilio plurimorum de hac re testimonia; nam de Orosio VII, 6 nihil moror, quin erraverit, et dubito, num satis accurate traditum sit in Act. Apost. 18, 2.

sulto, in reliquis principis edicto. Itaque in inscriptionibus toties collegiorum nominibus apponitur, convenire ea ex senatus consulto, cuius rei exempla vide collecta apud Mommsen. p. 80. Exemplumque talium collegiorum licitorum affert Gaius in Digg. III, 4 (quod cuiuscunque), 1 *Item collegia Romae certa sunt, quorum corpus senatus consultis atque constitutionibus principalibus confirmatum est, velut pistorum et quorundam aliorum et naviculariorum, qui et in provinciis sunt.* Sed praeter haec collegia, quibus opus erat peculiari edicto vel senatus consulto, ipsa lex excipit genus illud collegiorum, de quo significat Marcianus XLVII, 22, 1: *mandatis principalibus praecipitur praesidibus provinciarum, ne patiantur esse sodalicia neve milites collegia in castris habeant, sed permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre, dum tamen semel in mense coeant, ne sub praetextu huiusmodi illicitum collegium coeat.* Milites igitur cum omnino collegia in castris habere prohibeantur ceteraque collegia dissolvantur, excipitur, si tenuiores semel mense coëant stipemque menstruam conferant, ad funera sodalium curanda. Huc enim pertinere legem ipsumque caput senatus consulti, quo talia collegia permittebantur, nobis servatum esse docuit Mommsen. l. l. p. 87. [1]) Alia exceptio non lege quidem illa, sed natura rei erat; nam *religionis causa coire non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra senatus consultum, quo illicita collegia arcentur*, ut Marcianus l. l. scribit, i. e. licet certis diebus certisque locis ad sacra facienda convenire, dummodo ne corpus aliquod vel collegium, quod proprie dicitur, constituatur, quo peccetur contra legem. Atque haec quidem communiter valebant et in urbe et in Italia et in provinciis; sed in his quidem praeterea discrimen aliquod servabatur. In quibus enim homines mobilioris et levioris animi esse viderentur, in iis ea collegia, quae in aliis provinciis lege coire liceret, non concessa esse discimus ex nota illa Plinii ad Traianum epistola X, 43, ubi Plinius imperatori commendat, ut ad incendia compescenda collegium fabrum Nicomediae in Bithynia instituat, dumtaxat hominum centum quinquaginta: curaturum se, ne quis nisi faber recipiatur, neve iure concesso in aliud utantur. Fabrum collegia multis in urbibus erant et esse concedit imperator, sed veritus mobilitatem Nicomedensium apud hos esse non vult. Item hoc, de quibus dicturi sumus, Augustalium collegium in multis provinciis multisque in urbibus non fuisse existimo, propterea quod incolae nullis omnino collegiis ad coitiones alliciendi esse viderentur.

Quae cum ita sint, apparet, in quacunque urbe Augustales coire vellent, opus fuisse

1) Neque enim dubium esse debet, quin recte Mommsen. inscriptionem Lanuvinam, quae est de collegio Dianae et Antinoi, huc retulerit eiusque in ea parte, quae caput ex Senatus consulto aliquo habet, ipsam hanc legem, quam Marcianus significat, esse statuerit. Collegium Dianae et Antinoi quia intelligebat licere sibi coire vel sine privilegio, eam partem legis, ex qua id liceret, in tabulam collegii recepit, more satis frequenti, cuius nos quoque infra exemplum simile exhibebimus. Atque verba illius Senatus consulti congruunt fere cum iis quae Marcianus habet.

peculiari vel senatus vel principis auctoritate; nam hoc collegium nec fuisse tenuiorum nec funeraticium intelligitur. Quis autem petebat hanc auctoritatem? a quo proficiscebatur omnis haec Augustalium institutio? Romae vidimus sodales Augustales institutos esse senatusconsulto, primosque lectos esse a senatu ex primoribus civitatis: quare si eandem reliquorum oppidorum rationem esse oportet, ut oportet, decuriones petebant, ut *Augustales* sibi instituere liceret. Hoc enim nomine hoc, de quo acturi sumus, collegium appellabatur, nec, cum sodales Augustales, quorum rationem supra explicavimus, apud Tacitum Hist. II, 95, nunquam in inscriptionibus, viderimus nominari Augustales, hos vere Augustales unquam inveni appellari sodales Augustales. Ita autem, ut rei similitudo poscit, ab decurionibus institutos esse Augustales documento est, quod ab iisdem creari solebant, qua de re paulo infra dicemus.

Quo primum tempore Augustales fines urbis egressi per Italiam et per provincias propagari coepti sint, incertum est, sed ipso tamen Tiberio, qui Romae instituerat, imperante in oppidis Italiae inveniuntur. Primum monumentum, in quo reperiantur, videtur esse nobilissimum illud decretum centumvirum Veientium, quod cum alii antea edidissent, ut Orell. n. 4046, nuper accuratissime descriptum exhibuit C. W. Göttlingius. [1]) Centumviri i. e. decuriones municipii Augusti Veientis ad venerandum Augusti numen cum anno 26 p. Chr. Romae in aedem Veneris Genitricis convenissent, novumque aliquod beneficium a Iulio Divi Augusti liberto Gelote accepissent, universi decretum illi quidem non fecerunt, quia ad aliam rem nec in municipio suo convenerant, sed interim, dum domi iustum decurionum decretum conficeretur, auctoritate sua Iulio Geloti, *qui omni tempore municipium Veios non solum consilio et gratia adiuvisset, sed etiam impensis suis et per filium suum celebrari voluisset*, [2]) *honorem iustissimum decerni* permiserunt, primum *ut Augustalium numero haberetur aeque ac si eo honore usus esset, deinde liceret ei omnibus spectaculis municipio nostro bisellio proprio inter Augustales considere coenisque omnibus publicis inter centumviros interesse, denique ne quod ab eo liberisque eius vectigal municipii Augusti Veientis exigeretur.* Haec decurionum Veientium auctoritas iusto postea decreto confirmata in marmore Veiis reperto nobis servata est. [3]) Sequitur tempore proxime celeberrimus titulus Puteolanus Tiberio positus ob

1) In libro, qui inscribitur: Funfzehn Römische Urkunden auf Erz und Stein, Halae 1845, p. 72 sqq.

2) Ludis edendis maxime, ut videtur; eo enim pertinet verbum celebrandi.

3) Unum commemoro, in quo dissentiendum sit a Göttlingii interpretatione. In extremo enim titulo cum nomina tredecim hominum, qui *adfuerunt* auctoritati faciendae, adduntur, unus eorum appellatur *P. Acuvius P. F. Tro.* Reliqui omnes solis cognominibus appellantur nec tribu nec patris nomine adiecto, quod movit Göttlingium, ut *Tro.* trossulum significare, eoque nomen honoris alicuius Veientis contineri existimaret. Sed nec ille honos *trossuli* aut ullus unquam fuit Romae aut usquam in ullo invenitur municipio, atque etiamsi ita *Tro.* explicetur, P. Acuvii nomen differt a reliquis, quod pater additur, non additur cognomen. Quare non dubitandum est, quin ex solita consuetudine legendum sit *P. Acuvius, Publii filius, Tromentina tribu.*

restitutas quattuordecim civitates Asiae terrae motu eversas (apud Orell. n. 687, ubi vide ceteros, qui ediderunt; Mur. p. 206, 6; Romanell. itin. Pompei. Vol. II p. 243):

TI. CAESARI. DIVI.
AVGVSTI. F. DIVI.
IVLI. N. AVGVSTO.
PONTIF. MAXIMO. COS IIII.
IMP. VIII. TRIB. POTEST. XXXII.
AVGVSTALES.
RESPVBLICA.
RESTITVIT. [1])

Eiusdemque fere temporis est is titulus, quem Grut. p. 236, 10 exhibet (ex Smetio fol 49, 9, qui vidit):

[G]ERMANICO.	NERONI.	DRVSO.
CAESARI.	GERMANICI.	GERMANICI.
	CAESARIS. F.	CAESARIS. F.
. . . MVS. OB. HON.	AVGVST. D. D.	

quem cum Smetius dicat extare Romae, ad municipium tamen aliquod pertinere intelligitur ex D. D. i. e. decreto decurionum. [2]) Discimus hinc, quam cito Augustales per municipia Italiae propagari coepti sint.

Diximus autem supra totum Augustalium institutum ab decurionibus profectum esse inde perspici, quod Augustales crearentur a decurionibus. Eius rei non paucae inscriptiones testes sunt, quarum nonnullas afferemus. Apud Grut. p. 409, 5 (Mur. p. 700, 5; Orell. n. 2980) est hic titulus Mediolanensis: [3])

FAVSTVS.
VI. VIR. ET. AVGVST.
QVI. INTER. PRIMOS.
AVGVSTALES.
A. DECVRIONIB.
AVGVSTALIS. FACTVS. EST.
VIRIAE. MAXIMAE.
VXORI. CARISSIM.
ET. VRSO. LVPO. LEONI.
LIBERTIS. FVTVRIS.

1) Positus est titulus anno 30 p. Chr., cum urbes illae eversae essent ann. 18 p. Chr. (Tac. Annal. II, 47). Augustales primum posuerant titulum cum statua, quam postea civitas Puteolana restituit.

2) Hunc titulum Tiberio imperante positum esse certum est, sed incertum, utrum Germanico defuncto positus sit, an liberis quoque eius, quos Seiani artibus perisse constat. Hoc mihi quidem probabilius ideoque hoc loco retuli. Nolo uti eo titulo Hispaniensi, qui soli Neroni, Germanici filio, positus est, quem una Ligorii incertissima auctoritate niti supra diximus.

3) Augustae Praetoriae inventum esse dicit Muratorius, sed parum ei credo, quia omnino minus emendatum exhibet quam Gruterus, versuumque distributionem prorsus mutavit. Exhibet autem Gruterus accuratissime ex Apiani Inscript. antiq. p. 31, nisi quod is vs. 9 extremum sic habet LVPPOLLONI, quod vitium Grut. ex schedis Alciati videtur sustulisse. Nam vitium esse dominumque ferarum nominibus in servos transferendis delectatum esse apparet. *Libertis futuris* significat Faustum statuisse servos illos testamento manumittere.

De seviris postea viderimus, nunc hoc intelligimus, Faustum (sive quod aliud nomen ei erat, nam lapidem ab initio mutilum esse coniicio) a decurionibus factum esse Augustalem, et quidem inter primos. Addamus aliam inscriptionem Aquileiensem apud Mur. p. 90, 8 (Bertol. antiq. Aquilei. n. 37):

S. A. S. [1])
IN. HONOR.
L. VALERI.
NYMPHODOT.
VI VIR. ET. DD. AVG.
ET. C. STATI. PRIMIG.
ET.
IN. MEMORIAM.
C. STATI. HEVRET.
VI VIR. ET DD. AVG.
ALYPVS.
LIB.

Nam quod est D. D. AVG., interpretari oportet *decreto decurionum Augustalis.* Alios titulos, unde idem intelligitur, infra afferemus ad alias res demonstrandas.

Iam cum didicerimus et quando Augustales instituti et a quo creati sint, deinceps quaerendum est, ex quo hominum genere fieri consueverint. Romae inter sodales Augustales Tacitus l. s. l. narrat allectos esse nobilissimos civitatis i. e. senatoriae dignitatis viros eundemque honoris gradum invenimus fuisse omnium sodalium Augustalium, quorum memoria extat in inscriptionibus. Par igitur erat in municipiis etiam Augustales legi ex decurionibus, quippe quorum dignitas esset maxima. At id ne fieret, certae quaedam causae prohibebant. Non multi homines locupletes erant in municipiis, nam qui erant divitiores, si fieri posset, Romam translata sede sua, ad reipublicae Romanae honores admittebantur. Quare qui supererant, satis occupabantur honoribus municipii subeundis, quibus non erant addenda munera et onera Augustalitatis, de quibus infra disputabimus. Accedebat, quod libertinos lex a curia arcebat, [2]) quod genus hominum non raro pecuniosum esse solebat. Ita fiebat, non lege quidem ulla, sed consuetudine et ipsa rei natura, ut primum ii homines ingenui, qui non essent decuriones, tum maxime libertini ad honorem Augustalitatis arcesserentur. Quare Augustales, si genus et originem eorum spectes, erunt aut ingenui aut libertini; servos nunquam ad hunc honorem admissos esse reperio. Nec vero res ita comparata erat, ut aut Augustalitas aequaliter divisa esset totidemque essent ingenui, totidem libertini, quod possit aliquis ex similitudine tituli Narbonensis, quem supra attulimus, coniicere aut in aliis oppidis essent soli ingenui, in

---

1) i. e. *Spei Augustae Sacrum*, ut est in duobus aliis titulis Aquileiensibus apud Bertolium l. l. p. 40 et 41. Falsae enim sunt interpretationes virorum doctorum, quas Bertol. affert.

2) De hac re cum constet, ne longus sim, citabo solum Frid. Rothium de re municipali Roman. p. 69.

aliis soli libertini. Neutrum ideo probabile est, quod vix ullum est oppidum, cuius multi Augustales usque ad inferiora imperii tempora noti sint, in quo non inter plures Augustales libertini generis aliqui tamen inveniantur ingenui. Cum enim paulatim hominum municipalium di vitiae perire incepissent ipsaque decurionum conditio durior fieret, ut inopia hominum idoneorum, quicunque ingenui oneribus pares esse viderentur, in curiam allegerentur, necessario fiebat, ut libertinorum Augustalium numerus multo superaret.

Quae cum ita sint, nullo fere discrimine, inveniuntur Augustales et ingenui et libertini. Ut illius generis est titulus Pompeianus apud Romanell. itin. Pomp. I p. 67:

M. CERINIVS.
RESTITVTVS.
AVGVSTALIS.
L. D. D. D.

et Herculaneensis apud eund. Romanell. II p. 71 (Maff. Mus. Ver. p. 351, 2):

L. MAMMIO. MAXIMO.
AVGVSTALI.
MVNICIPES. ET. INCOLAE.
AERE. CONLATO.,

in quibus quamquam patris nomen non appositum est, tota tamen nominum ratio homines ingenuos prodere videtur, certusque est alius Augustalis Herculaneensis apud Maff. Mus. Ver. p. 351, 7:

M. PAPIRIVS. M. F.
TERTIVS.
AVGVSTALIS.

Neque memini omnino in titulis Pompeianis me quemquam invenisse, quem libertinum esse constaret. Quamquam res sane eiusmodi est, de qua certo pronunciari nequeat. Ac cum infra demonstraturi simus, seviros et seviros Augustales fuisse magistratus quasi quosdam Augustalium, plurimi inveniuntur seviri ingenui, ut Augustae Taurinorum *C. Saevonius Stabilionis f., Secundus Sevir* apud Maff. Mus. Ver. p. 217, 6 (Marm. Taur. p. 86), *L. Valerius Firmi f. Stellatina* (tribu) *Firminus Sevir Augustalis* ibid. p. 217, 9; *T. Cusius Rufi f. Stell. Sevir Augustalis* ibid. p. 217, 10; *M. Caelius M. f. Thraso Sevir Augustalis* ibid. p. 221, 6 (Mur. p. 195, 2), Veronae *L. Cassius Vervici f. Nigrinus Sevir Augustalis* apud Maff. Mus. Ver. p. 87, 1; *L. Calpurnius Pudens Sevir Augustalis* apud Maff. Mus. Ver. 115, 2; *Sex. Salanius Sex. f. Pob. Mandatus Virianus Sevir* ibid. p. 115, 3; *L. Safinius C. f. Rufus Sevir* ibid. p. 117, 2. Multique alii inveniuntur, ut Brixiae est *P. Atilius P. fil. Fab. Secundus Sevir Augustalis* apud Maff. Mus. Ver. p. 378, 5; ibidem *Q. Atilius Q. fil. Fab. Scaeva Sevir Augustalis* apud Mur. p. 194, 4; Comi *L. Rusticellius Oufentina* (tribu) *Secundus Sevir Augustalis* apud Mur. p. 47, 9; ibidem *M. Valerius M. f. Secundinus Sevir*

Senior et Augustalis apud Mur. p. 62, 3 (Orell. n. 3944); Faesulis *M. Centonius Sex. f. Sevir Augustalis* apud Mur. p. 688, 7; Fani *C. Cossonius C. f. Capreolus Sevir Augustalis* apud eund. p. 196, 6; multi Mediolani, quos nominari nihil attinet. Itaque cum apud Orell. n. 3716 *Cn. Stennio Egnatio Rufi filio II viro iterum quinqennali omnibus oneribus et honoribus functo* titulus ponitur ab *ingenuis honoratis et Augustalibus*, duo quasi genera ingenuorum in municipiis discerni videmus, unum eorum, qui in decuriones recepti honores gesserunt, alterum Augustalium. [1]) Quamquam non negarim equidem, libertinos et Augustales et seviros Augustales multo plures inveniri quam ingenuos, ea de causa, quam supra commemoravi, imprimisque quo gravius decurionatus onus incumbere coepit, eo magis Augustalitas libertinorum facta est. Quare nonnullae sunt civitates, in quibus qui noti sunt Augustales, omnes sint libertini, ut Mutinae qui unus invenitur *Sevir Augustalis Q. Veianius Himerus* (apud Don. V, 187; Cavedon. dichiarazione degli antichi marmi Modenesi, Modena 1828, p. 190), quamvis non dicatur libertinus, vix tamen dubitandum est quin fuerit, ut Eboraci in Britannia cum unus inveniatur *Sevir Augustalis M. Verecundus Diogenes* (apud Grut. p. 485, 1; Orell. n. 190), eum libertini generis fuisse plus quam veri est simile; ut in sedecim fere seviris Augustalibus sive seviris, quos habent inscriptiones Rheni a Steinero editae, unus est *M. Terentius M. f. Sosio* apud Steiner. n. 995, quem ingenuum fuisse constet, reliquos cum libertinorum nomen non apponatur, fuisse tamen libertinos veri est simillimum, ut Veronae cum viginti fere mihi noti sint Augustales, praeter quattuor, quos supra dixi, reliqui videntur fuisse libertini. Similisque prope est aliarum civitatum ratio, quare ingenuorum potius exempla aliqua afferenda esse putavi quam libertinorum. Quamquam hi quoque saepe iis, quos deinceps exhibebimus titulis, commemorabuntur.

Cum igitur constet et ingenuos et libertinos fuisse Augustales, deinceps demonstrandum est, dignitatem eorum proximam fuisse decurionibus. Id cum multis ex rebus intelligatur, nonnullas hic afferemus, alias postea commemorabimus. Sic Augustalibus saepe propter merita bisellium decretum esse reperimus, ut in titulo Pompeiano apud Romanell. itin. Pompei. I p. 38 (Millin. Pomp. p. 87; Orell. n. 4044), et in altero Abellae invento, quem exhibet Grut. p. 1099, 2: [2])

NAEVOLEIA. Ī. LIB. TYCHE. SIBI. ET.
C. MVNATIO. FAVSTO. AVG. ET PAGANO.
CVI. DECVRIONES. CONSENSV. POPVLI.
BISELLIVM. OB. MERITA. EIVS. DECREVERVNT.

CN. PLAETORIO. $\overline{\text{VI}}$ VIRO.
AVGVSTALI.
BISELLIARIO.
HONORATO. ORNAMENTIS.

---

1) Minus igitur probo Orellii sententiam, qui tres ordines significari censet, cum ingenui nunquam per se ordinem effecerint.

2) In hac vs. 7 rectius exhiberi puto a Romanellio quam est apud Millin. et Orell. C. MVNAT. P. FAVST. F.; nam Naevoleia et suis et mariti sui C. Munatii Fausti libertis illud monumentum fecerat. *Paganus* autem non sacerdotii alicuius, sed muneris municipalis nomen est. Vide Orell. n. 4045.

HOC. MONVMENTVM. NAEVOLEIA. TYCHE.
LIBERTIS. SVIS.
LIBERTABVSQ. ET. C. MVNAT. FAVSTI.
VIVA. FECIT.

DECVRIONALIB.
POPVLVS. ABELLINVS.
AERE. COLLATO. QVOD.
AVXERIT. EX. SVO. AD.
ANNONARIAM. PECVNIAM.
HS. $\overline{X}$. $\overline{N}$. ET. VELA. IN THEATRO.
CVM. OMNI. ORNATV.
SVMPTV. SVO. DEDERIT.
L. D. D. D.

Videmus in altera harum inscriptionum hominem libertinum, qui sevir Augustalis esset, et bisellii honore et ornamentis decurionalibus ornatum esse, eidem postea cum novam liberalitatem populo Abellinati exhibuisset, statuam hanc aere a populo collato esse positam. [1]) Atque hoc omnino frequentissimum fuit, ut ornamentis decurionatus ornarentur Augustales bene de republica meriti, [2]) ut est titulus Nemausensis hic apud Maff. antiq. Gall. sel. p. 65 (minus recte Grut. p. 409, 7):

DIS. MANIB.
FIRMI. LVCANI. L.
IIIIII VIR. AVG.
ORNAMENTIS.
DECVRION. NEMAVSI.
HONORATO.

duoque similes tituli Nemausenses sunt apud Mur. p. 199, 1 (Orell. n. 3751) et Mur. p. 713, 7 (minus recte ibid. p. 200, 4). Eodem pertinet inscriptio a Labus. in dissertatione de inscript. Brixian. p. 55 (Orell. n. 3942; parum recte Grut. p. 43, 8) rectissime explicata, in qua haec

1) Sunt etiam alia notabilia in hoc titulo. Nam primum Scaliger in indice Gruteriano non recte videtur legisse C. PLAETORIVS., nam filius huius libertini, hominis et pecuniosi et illustris in colonia sua, videtur esse ille *Cn. Marcius Cn. fil. Plaetorius*, cuius titulus est apud Grut. p. 1096, 6, in quo et munera eius municipalia et militaria compluria commemorantur; nam saepe factum esse, ut Augustalium filii ad honores municipales ascenderent, paulo infra dicemus. Atque illum Cn. Plaetorium cum constet vixisse imperatoribus Traiano et Hadriano, consequetur, ut libertinus hic vixerit fere sub Domitiano. Deinde non rectum est, quod vs 6 legitur *populus Abellinus*; neque enim aut ex *Abella*, ubi inventus est lapis, aut ex *Abellino*, ad quam coloniam Abella pertinebat, recte fit adiectivum *Abellinus*, oportetque esse *Abellinas*, quae ipsa forma legitur in alio titulo apud Lupul. itin. Venus. p. 55 (Orell. n. 1180). Denique vehementer dubito, num rectum sit *auxerit ex suo ad annonariam pecuniam* facilisque est coniectura *addiderit*, sed incerta, quia fortasse ipsi, qui titulum posuerunt, minus latine locuti sunt. Ipsam *annonariam pecuniam*, quam Cn. Plaetorius *Hs. decem millibus* auxit, constat esse eam, qua frumentum pauperibus coloniae sublevandis comparabatur, frequentesque satis in coloniis et municipiis sunt curatores annonae. Luxum velorum theatris inductorum proprium Campanorum fuisse narrat Valer. Max. II, 4, 6, unde Romam transtulit Q. Catulus in Capitolio dedicando; vide Plin. nat. hist. XIX, 1.

2) Qualis honos ille fuerit, colligi potest ex iis, quae de ornamentis senatoriis et aediliciis et praetoriis et consularibus Romae delatis disputavimus in quaestione de honorum gradibus sub Imperatoribus in Mus. Rhen. ann. 1842 p. 267 sqq.

sunt: *Herculi sacrum. Cumas Carpius Sevir Senior et Augustalis gratuitus decreto decurionum, ornamentis decurionatus ab ordine splendidissimo municipii Mediolanensis honoratus, cum Cuma Carpio Festo filio, equite Romano equo publico, Seviro iuniore, decurione, votum solverunt,* in quibus ut cetera nunc mittamus, apertum est de Augustale ornamentis decurionalibus honorato. Idem in Hispanicis urbibus factum esse ostendit hic titulus apud Maff. Mus. Ver. p. 422, 3 (Orell. n. 164), in conventu iuridico Hispalensi inventus:

M. EGNATIVS. SILII. LIB. VENVSTVS. IIIIII VIR.
HVIC. ORDO. M. F. ARVENSIS.
STATVAM. ET ORNAMENTA. DECVRIONATVS.
DECREVIT.
M. EGNATIVS. VENVSTVS. IN LOCVM. QVEM.
ORDO. DECREVIT. STATVAM. ET. SCAMNA.
MARMOREA. ET AREAM. MARMOR . . . .
D. S. P. D.

Hic M. Egnatius quamquam non propter seviratum statuam et ornamenta decurionatus accepit, sed propter alia beneficia in rempublicam collata, apparet tamen, nulla alia dignitate eum usum esse, cum illis honoribus ornaretur ab municipio Flavio Arvensi.[1] Itemque est in hoc titulo Dacico, in ruderibus coloniae Sarmizegethusae invento, quem ex Grut. p. 110, 1 et Seiverto inscript. Dac. n. 148 emendatum appono:

GENIO. ORD.
QVEM. VLP. DOM.
HERMES. AVG. COL.
APVL. ORN. ORNAM. DECVR.
PROMISERAT.
T. P. S. L.
VAL. THREPTVS. ET.
DOMITI.
REGVLVS. HIPPONICVS.
HERMES. ONESIMVS.
AVGG. COL. H. P. C.
L . D . D . D.[2]

---

1) Sic enim vs. 2 notae explicandae sunt et sic oppidum Arva conventus Hispalensis in Hispania (Plin. III, 3) appellatur apud Grut. p. 476, 1. M. Egnatius statuam, quam respublica decreverat, honore solo contentus, ipse sua pecunia posuit addiditque ei et *scamna marmorea* et *aream marmoream.* Utrumque maioris honoris signum erat et notabile quod admissum in libertino homine, quippe quod Winckelmannus in monumentis antiquis II, 2, 1, 2 negarit praeter deos et summos viros, diis dignitate prope aequales, inveniri.

2) Particulam tituli habet Grut. p. 481, 5 (Seivert. l. l. n. 149), totiusque corruptelae origo est Lazii negligentia, cuius auctoritate partim titulus nititur. Singula, in quibus a Grutero aut a Seiverto discesserim, afferre nihil attinet, hoc unum commemoro, versuum descriptionem, qualem supra exhibui, prorsus esse incertam. Quamquam sententia ipsa aperta. *Ulpius Domitius Hermes, Augustalis coloniae Apuli,* quod signum *genii ordinis* promiserat, id *testamento peni suo iussit.* Sic enim lego vs. 6; cf. Orell. n. 107 et n. 3480. *Heredes ponendum curaverunt* (hoc enim est H. P. C.) *Valerius Threptus* et uterque *Do-*

in quo titulo cum plura incerta sint, certissimus est Augustalis, ornatus ornamentis decurionatus, alterque Augustalis eiusdem coloniae Apulensis ornamenta decurionatus habens est apud Grut. p. 1006, 1 (Orell. n. 3016; particula Grut. p. 81, 7). Addo titulum Dalmaticum, Semae repertum, quem ex Petr. Apiano p. 366 non satis recte descripsit Grut. p. 477, 6:

L. VALERIO.
AGATHOPO.
AVG. HVIC. ORD.
SENIENSIVM.
ORNAMENT. DECVR.
PRIMO. DECREVIT.
VALERIA. MONTANA.
CONIVG. OPT.
L . D . D . D ., [1])

cuius similem infra alterum Seniensem afferemus. Etiam Brixianus sevir Augustalis, ornamentis decurionalibus ornatus, est apud Apianum p. 59 (Grut. p. 469, 4):

COLL. FABR. ET. CENT.
SEX. SEXTIO. ONESIGENI.
ORNAMENTIS.
DECVRIONALIBVS.
BRIXIAE. VI VIR. AVGVSTA.
PATRONO. COLLEGIORVM.
FABROR. ET. CENTONARIOR.
ET. DENDROPHORORVM.

Libertinum fuisse hominem nomina demonstrant, eundem dignitate proxime ad decuriones accessisse non modo ornamenta decurionalia, sed etiam hoc ostendit, quod patronus erat collegiorum. Nec vero modo decurionalia ornamenta a municipiis decernebantur Augustalibus bene de republica meritis, sed ut Romae, qui eximio honore afficiendi esse viderentur, aediliciis aut praetoriis ornamentis donabantur, item in municipiis fiebat, ut, qui non essent decuriones nec propter originem possent esse, dignitate certe summis honoribus aequarentur. Testis est titulus Dertosanus, optime exhibitus ab Orell. n. 4049 (minus recte a Mur. p. 1043, 1 et Grut. p. 478, 8 et p. 402, 3):

P. VAL. DIONYSIO.
VI VIR. AVG.
CVI. ORDO. DERTOSAE.
OB. MERITA. EIVS.
AEDILICIOS. HONORES.
DECREVIT.

---

mitius, *Augustales coloniae*. Orell. n. 1696 hunc titulum nec emendasse nec explicasse satis recte videtur.

1) Notabile, quod illi Augustali *primo* dicuntur ornamenta decurionatus decreta esse, ut primis fere imperatoribus totus titulus positus esse videatur.

P. VAL. PARDVS. VI.
VIR. AVG.
PATRONO. OPTIMO.

Neque enim vere gessit aedilitatem, qua, quia libertino genere ortus erat, uti non potuit, sed ornamenta eius ei concessa sunt.

Quamquam in re ipsa nihil erat, quin Augustalitas cum decurionatu conveniret; quivis enim homo ingenuus ad hunc admittebatur. Verum cum ingenui fere alterutrius honoris muneribus satis gravarentur, libertini autem qui essent generis, a curia prohiberentur, rarius videtur factum esse. Unum exemplum affero tituli Campani apud Grut. p. 347, 3 (Morcell. de stil. inscript. I p. 147):

P. AELIO. P. FIL. PHILOLOGO.
AVG. DECVRIONI. CAPVAE.
ORNATO. ORNAM. II VIRAL.
AELIA. APHRODISIA.
MATER. ET SIBI. FECIT.

in quo dubitandum est tamen, an AVG. significet *augurem*, non *augustalem*. Qui enim tanta fuit Capuae dignitate, ut, cum in curiam allectus esset, honore ipso non gesto, [1]) ornamentis tamen II viralibus afficeretur, videtur non Augustalis modo, sed sevir Augustalis esse debuisse. Sed plures inveniuntur VI viri Augustales, qui iidem honores gesserint, quorum ratio cum infra explicabitur, tum hic pauca exempla affero. Nobilis est lapis Brixianus, quem attulit Orell. n. 66:

GENIO.
COLONIAE. CIVICAE. AVG.
BRIXIAE.
Q. LARGENNIVS. Q. F. FAB.
SAGITTA.
VI. VIR. AVG. DECVRIO.
PRAEF. FABR. PRAEF. I. D. Q.
II VIR. QVINQ. D. P. S.

Vides hominem, postquam sevir Augustalis fuit, omnibus coloniae honoribus usum esse [2]), ideo quod et ingenuus erat et, opinor, satis locuples ad utraque munera subeunda. Similis est hic Parmensis titulus apud Maff. Mus. Ver. p. 368, 7 (Donat. p. 71, 5):

---

1) At enim Morcell. ex Gorii Symbol. Flor. I p. 78 n. 2 exhibet VS. 3 ORNATO. SENTENTIA II VIRAL., minus recte, ut videtur. Nam non facile dicatur aliquis ita *ornari* sententia; deinde Apianus p. 132, ex quo titulum sumpsit Grut., mendose habet ORNATO. SVAM. II VIRAL., unde appareat tamen emendandum esse ORNAT. ORNAM. II VIRAL. ut fere scripsit Grut. Quod autem idem Apianus vs. 4 habet APHRODISA et vs. 5 MATER. EI, recte correxit Grut. Versuum distributio apud Morcellium, qui speciem magis externam quam veritatem sequi solet, negligentior est.

2) Fuerat enim *decurio*, *praefectus fabrum*, *praefectus iuri dicundo*, *quaestor*, *II vir quinquennalis;* nam sic notas inscriptionis explicandas esse alio loco demonstrabimus.

L. PETRONIVS.
L. F. POL.
SABINVS.
VI VIR. DEC. Q.
II VIR. PONTIF.
SIBI. T. F. I.
Q. Q. V. P. L. [1])

Nam L. Petronius, cum sevir Veronae fuisset, idem fuit *decurio*, *quaestor*, *II vir*, ut omnes honores municipales emensus sit. Sed semper cautio adhibenda, ne, sicubi Augustalis vel VI vir Augustalis videatur idem honores municipales gessisse, error aliquis lateat. Ut qui in inscriptione Astigitana a Murat. p. 1102, 3 (p. 1029, 6) exhibetur sevir idemque magistratus municipalis, non dubito equidem, quin ementitus sit secundum similes duas Astigitanas apud Grut. p. 1, 5 et p. 101, 8; itemque Ligoriana fraude conficta est ea, quam Grut. p. 77, 4 habet, in quà *Sevir, Quinquennalis in municipio* commemoratur, eademque pessima auctoritate nititur ea, quae est apud Mur. p. 1118, 2, ex alia apud Grut. p. 490, 5 conflata, in qua *IIII vir* idemque *VI vir Augustalis* invenitur, similesque alii non pauci tituli afferri possunt. Saepe etiam cavendum, ne, sicubi AVG. reperiatur, continuo Augustalem intelligamus, cum significare possit etiam augurem, quales fuisse constat in municipiis. Ut titulus est Paestanus apud Romanell. in itiner. Pompei. II p. 23 (Orell. n. 2492; Murat. p. 1111, 6):

L. CANINIO. L. F. II VIR. AVG.
. . . . DEDICAT. AED. NEPTVN.
EPVLVM. TRIDVVM. POP. DEDIT.
COL. PAEST.
L . D . D . D.

(nam eum qui fuerit II vir, augurem quam Augustalem existimare malo)[2]) et inscriptio Velleias apud Orell. n. 3805, in qua vix dubito, quin *II vir Aug.* significet *duumvirum et augurem.*[3]) Aliam etiam cautionem adhibendam esse intellexi, ne quando nomen *Augustalis*, quod satis frequens est, pro honore habeatur, ut in titulo Salonitano apud Spon. Miscell. p. 58 (Donat. p. 229, 2):

1) Extremas notas interpretare *testamento fieri iussit. Quoquoversus pedes quinquaginta.*

2) Quare improbo Orellium, qui cum AVG. interpretetur Augustalem, dubitat, an *VI vir Aug.* fuerit in saxo. Vs. 2 autem omissum est *qui*. Noli autem mirari Neptunum potissimum celebratum esse Paesti, quippe a quo tota colonia nomen acceperit Posidonia.

3) Sic in titulo Ariminensi apud Murat. p. 169, 10 certus est *C. Galerius P. f. Vitalis, duovir quinquennalis augur*, in Brixiano apud Grut. p. 447, 10 (Orell. n. 3875) *P. Papirius P. f. Pastor augur II vir*, in Catiniensi apud Castell. inscr. Sicil. p. 57 n. 36 *L. Rubrius Proculus II vir quinquennalis augur*, in Comensi apud Grut. p. 427, 4 *M. Iuvenis Marcianus IIII vir, augur;* Fabrateriae apud Grut. p. 491, 9 *II vir augur*, multique alii in aliis oppidis reperiuntur.

T. VETIO.
AVGVSTALI.
DECVRIONI. COL. SAL.
QVAESTORI. AEDILI. II VIR.
IVREDIC. PRAEFECT. ET. PATRON.
COLL. FABR. OB. MERITA.
EIVS. COLL. FABR.
EX. AERE. CONLATO.

fuerit fortasse, qui eum, qui fuit *decurio*, *quaestor*, *aedilis*, *II vir iuri dicundo* coloniae Salonitanae itaque omnes honores emensus sit, existimet fuisse eundem Augustalem. At ipsi Augustales propter eam causam, quae supra a nobis demonstrata est, cum rarius essent decuriones honoresque municipales gererent, filios eorum frequenter ad curiam admissos esse invenimus. Titulus Beneventanus apud de Vitam inscript. Benev. p. 12, 8 est hic:

L. LOLLIO. L. F. SVAVI.
AEDILI. PRAEF. FABR.
L. LOLLIVS. ORIO. PATER.
AVG. CLAVD. SIBI. ET.
HIRRIAE. TERTVLLIAE.
VXORI.

Pater fuerat *Augustalis Claudialis*, quod quid fuerit, infra dicetur, filius ad honores coloniae accessit *aedilisque* appellatur. Similis prorsus est inscriptio Sentinas apud Mur. p. 198, 2:

C. FVLLONIO.	C. FVLLONIO.
C. FIL. LEM.	C. F. LEM.
VERECVNDO.	PRISCO.
AEDILI.	AEDILI.

C. FVLLONIVS. HONORATVS. AVGVSTALIS.
FILIIS. PIISSIMIS.
L. D. D. D.

Apparet utrumque ex his Augustalibus fuisse hominem locupletem, sed cum essent libertini, exclusos ex curia, filios eorum, qui possent admitti, opibus suis statim aedilitate in suo utrumque municipio gerenda usum esse. Cf. etiam inscriptio apud Grut. p. 318, 7, quam ad Ostiensem coloniam pertinere intelligo.

Demonstratum est a nobis, qua dignitate Augustales fuerint, quem locum et quasi ordinem honoris in municipiis habuerint, unde facile intelligendum est, eos non esse coniunctos cum magistris vicorum et Larum, quo nonnulli eos pertinere existimarunt, qui dignitate videantur fuisse inferiore. Sequitur deinceps, ut de numero eorum, quot in quaque civitate fuerint, dicamus. Nam cum Romae sciamus a senatu numerum sodalium Augustalium, ad quorum similitudinem hos Augustales institutos esse intelleximus, definitum esse, item in municipiis fuisse probabile est. Quamquam utrum item fuerint unus et viginti an quis alius eorum numerus fuerit, nescitur; sed fuisse certum quendam coniicio, quod, ut a senatu Romano extra sortem sodalibus

Augustalibus adiiciebantur liberi principis, item factum esse puto in municipiis, ut, si qui dignitate praestarent et bene de republica meriti essent, ii extra certum numerum Augustales fierent. Quod etsi in Augustalibus nullo exemplo demonstrari potest, in seviris tamen Augustalibus, quos Augustalium quasi magistratus fuisse ostendemus, certum est. Nec tamen tantus eorum fuit unquam numerus, ut in decurias distribuerentur, quod censebat Morcell. de stil. inscript. I p. 18 propter inscriptionem Tiburtinam apud Grut. p. 1088, 12, quae sine dubio mendosa est, [1]) neque omnino decuriae sodaliciorum ullae videntur fuisse.

Sacerdotum quasi quoddam genus fuisse Augustales ipsa eorum origo indicat idemque ostendent, quae infra de muneribus eorum disputabuntur: omnes autem sacerdotes et pontifices more Romano sunt perpetui, quare etiam Augustales sunt perpetui, non annui, nullique sunt *Augustales iterum*, *tertium*, deinceps. Itaque ubicunque hoc legi videbitur in inscriptionibus, aut fraus aut error suberit. Exemplo sit hic titulus Suessanus, propter multas causas memorabilis, apud Grut. p. 475, 3 (Orell. n. 4047):

C. TITIO.
CHRESIMO. AVG. II.
HVIC. ORDO. DECVRIONVM.
QVOD PRO. SALVTE. ET INDVLGENTIA. IMPERAT.
ANTONINI. PII. FELICIS. AVG. ET. EX VOLVNTATE. POPVLI.
MVNVS. FAMILIAE. GLADIATORIAE. EX PECVNIA. SVA.
DIEM PRIVATVM. SECVNDVM. DIGNITATEM. COLONIAE.
EDIDERIT. HONOREM. BIS. ILLI. QVO. QVIS. OPTIMO. EXEMPLO.
IN. COLONIA. SVESSA. HABVIT. ET. VT. AQVAE. DIGITVS.
IN DOMO. EIVS. FLVERET. COMMODISQ. PVBLICIS. AC. SI.
DECVRIO. FRVERETVR. ET. TITIO. CHRESIMO. FILIO. EIVS.
OB. MERITA. PATRIS. HONOREM. DECVRIONATVS.
GRATVITVM. DECREVIT. ORDO. DECVRIONVM.
ET. AVGVSTALIVM. ET PLEBS VNIVERSA. [2])

Fuit hic C. Titius Chresimus sine dubio homo pecuniosus, quippe qui sua pecunia munus gladiatorium edidisset, ideoque ei omnes honores, qui et libertinis possunt et Augustalibus solent deferri, habitos esse intelligimus. Primum ei *honos bisellii* (sic enim vs. 8 legendum

1) Siquidem vera est, nam hoc quoque potest dubitari. Habuit enim Grut. ex Pighii et Sirmondi schedis, ex quibus illas certe constat esse multis Ligorianis titulis plenas. Atque in hoc quidem peculiaris quaedam accedit causa, cur de eo dubitandum esse videatur. Cum enim Reinesius in Syntagm. inscript. I n. 99 docere velit, etiam mulieres factas esse Augustales, duabus inscriptionibus utitur, hac Tiburtina, quam modo diximus, et altera, quae Romana dicitur, quae est apud Grut. p. 1088, 1, item ex schedis Pighianis petita. Quare quoniam illam constat esse totam confictam (nominatur enim in ea *collegium Arvalium*, quod nullum fuit), similiaque in utraque commemorantur, non iniusta movetur dubitatio, ut utramque falsam esse existimemus. Cf. Orell. ad n. 3957.

2) In eiusdem marmoris latere altero item inscriptio est, sed ad alios homines et alia tempora pertinens; nam posita est anno 193 p. Chr., cum haec in Antonini Pii aetatem incidat.

esse apparet) *quo quis optimo exemplo in colonia Suessa habuit*, datus est, de quo paulo supra p. 24 diximus, deinde *ut digitus aquae* publicae, qua colonia utebatur, *in domo eius flueret* ceterisque commodis, quae decuriones haberent, frueretur, ut Suessae inter decurionum munera hoc quoque fuisse videamus, ut aqua publica gratis uterentur. Plus igitur paulo hoc erat quam ornamenta decurionatus, quae Augustalibus deferri consuevisse diximus, in quibus honos magis quam commodum ullum est. Denique filius eius, qui iam ingenuus esset, vere decurio allectus est et *gratuito* quidem. Qualem autem hominem ipsum C. Titium fuisse existimabimus, qui et eos, quos diximus, honores accepisset et AVG. II dicatur vs. 2? Necessario hoc quidem Orellius interpretatus est de *Augustale iterum*, parum rectis tamen sevirum Augustalium exemplis usus, de quibus infra disputabimus, ac verum Augustalem non perpetuum teneremus, nisi Smetium inscript. antiq. fol. 83, 5, a quo sumpsit Gruterus, exhibere viderem AVG. LIB.,[1]) quod quin rectum sit, dubitari non debet, ut Augustalem perdamus illum quidem, sed hoc lucremur, ne quid contra morem Romanum factum esse videatur. Item titulus Hispaniensis apud Grut. p. 479, 7, in quo invenitur *Augustalis perpetuus*, mendosus, quamquam qua ratione emendandus sit, certo dici nequit. At alter Hispaniensis apud Grut. p. 168, 2, in quo est *M. Cornelius M. f. Gal. Marcellus Aug. quin.*, dubitari vix potest, quin sit fictus, praesertim qui solius Moralis auctoritate nitatur. Affero denique hunc Cingulanum ex Donat. I p. 88, 7 (Orell. n. 3812):

M. CERNITIO.
M. F. ÆEL. POLLION.
II ÆIR. BIS. AVGVS.
ET. CERNITIAE. M. L.
NYMPHIN. CONC. EIVS. PHIALE. L.
P. S. F.,

quem Imperatoris Claudii tempore positum esse ostendit digamma. In eo quod est *bis*, cave referas ad Augustalem; pertinet enim ad II virum. Quamquam ipsum illud AVGVS., secundum ea quae supra disputata sunt, dubito, an esse oporteat AVGVR.[2])

Iam quoniam quae externa quasi Augustalium species dignitas fuerit demonstravimus,

---

1) Discrepat autem Smetius etiam in alia re a Grutero. Nimirum deest apud eum vs. 5 EX. et recte quidem, ut videtur. Ediderat enim C. Titius munus suum non *pro salute et pro indulgentia imperatoris*, sed *pro salute* et *ex indulgentia* sive *indulgentia* eius, ut est apud Grut. p. 352, 1 *quod ex indulgentia Augusti octies spectaculum gladiatorium ediderit*, et *indulgentissimus imperator* apud Grut. p. 456, 1 (Orell. n. 784). Quodsi hoc loco admittitur ablativus solus, item *voluntate* admittendum erit. nec moveor Ant. Augustini aut Capacii auctoritate, qui praeter Smetium apud Gruterum citantur.

2) Commemoro etiam inscriptionem Beneventanam apud de Vitam inscr. Benev. p 167, in qua Nasellius Vitalis, homo libertini generis, dicitur AVG. II QVINQ., quo cave credas Orellio significari duos honores, ut fuerit *Augustalis bis et Quinquennalis*. Immo interpretandum est *Augustalium iterum quinquennali*. Habebat enim Augustalium collegium quinquennales, de quibus infra dicetur.

videtur faciendum esse, ut ad naturam muneraque eorum explicanda perveniamus. Quaeritur igitur primum, cum institutos esse constet in honorem et memoriam Augusti imperatoris, utrum huic soli sacrati fuerint, an toti genti Iuliae. Hoc utique veri est simillimum, cum item fuisse sodales Augustales, qui proprie dicuntur, supra intellexerimus. Neque incerta eius rei argumenta afferri possunt. Etenim cum sodales Augustales etiam peculiarem aliquam venerationem Claudii imperatoris habuisse supra dixerimus ideoque appellari *Augustales Claudiales*, idem cadit in hos, de quibus disputamus, municipiorum sodales, in honorem gentis Iuliae institutos, nec infrequens Augustalium Claudialium superest in inscriptionibus memoria. Affero haec exempla. Inscriptio Beneventana apud de Vitam p. 10, 18 (Donat. p. 92, 4; Orell. n. 2372 est haec:

D. M. S.
M. SERVENI.
ALEXANDRI.
AVG. CLAVD.
BENEVENTI.
VIX. AN. XCVII.
M. II. D. XII. IVNIA.
CAPREOLA. CON
IVGI. BENEMER.

Homo vix dubitandum est, quin fuerit libertini generis: fuit certe nullis coloniae Beneventanae honoribus ornatus, ut eodem dignitatis loco fuerit, quo reliqui Augustales, de quibus supra dictum est. Aliam Beneventanam inscriptionem, in qua item libertinus appellatur *Augustalis Claudialis*, paulo supra attulimus. Tertiam Beneventanam habet idem de Vita p. 10, 14 (Mur. p. 191, 4; Reines. V, 18; Orell. n. 2373).

D. M. S.
A. VIBBIO. IANVARIO.
CLAVDIALI. AVGVSTALI.
CVR. MVN. DIEI. VVS.
AVLI. VIBBII. IVSTINVS
IVSTIANVS. IANVARIVS.
FILI. PATRI. BENEM. P.

Idem esse apparet hoc loco *Claudialis Augustalis*, quod supra fuit *Augustalis Claudialis*, itemque libertini generis homo fuit, sed satis pecuniosus, quippe qui *curator muneris diei unius* fuisset. [1]) Similis est hic titulus Avellini inventus apud Mur. p. 192, 2:

C. ARRIVS. C. LIB.
CORYMBVS. AVG.
CLAVD. EX TESTAM.

1) i. e. per diem unum munus gladiatorium suo sumptu ediderat. Sic iam Orell. explicavit idemque probabiliter secundum Saxium statuit, nomen alterius filiorum fuisse *Iustinianus*, quod litteris contractis scriptum facile corruptum est in *Iustianus*.

EIVS. ARBITRATV.
HERENNIAE. RESTITV
TAE. VXOR. OPTIMAE. ET.
VRBANI. LIB. L. D. D. D.

Nec vero modo simplices Augustales Claudiales sic inveniuntur, sed etiam *seviri*, ut in hoc Tridentino marmore apud Mur. p. 192, 3 (eund. p. 2049, 5; Maff. Mus. Ver. p. 114, 3; Orell. n. 2374):

L. AVFILLENVS.
ASCANIVS.
VI. VIR. II.
CLA. ET. AVG.
SIBI. ET.
CATIAE. T. F.
RHODAE.
VXORI.

Qui hic plene nominatur *Sevir Claudialis et Augustalis*, alias simpliciter est *sevir Claudialis*, ut in hoc Bononiensi titulo apud Marin. Act. fratr. Arval. II p. 533. [1])

I. O. M. DOL.
Q. PVBLICIVS. MODESTINVS.
. . . . R. ET. CLAVD. CENATORIVM. P. S. F.
L. D. D. D.

Nam dubium esse non potest, quin explendum sit vs. 3 *Sevir et Claudialis.* Sed dicitur etiam *sevir Claudialis*, qualis est libertinus apud Mur. p. 752, 5 *M. Clodius M. L. Sabinus*, et ingenuus in hoc titulo Veronensi apud Mur. p. 752, 3:

Q. TVTICANI. Q. F. EROTIS.
GRAMMATICI. LATINI. VI VIR.
CL. ORNAM. DECVR. HONORATI.
VERON. ET. VARIATO. TVTICANI.
FELICIANI. ET. SVIS. . . . . . .

siquidem vere fuit ingenuus, qui hoc loco *Sevir Claudialis ornamentis decurionatus honoratus Veronae* dicitur, non libertinus, quo ducit cognomen *Eros.* [2]) Intelligitur hinc, quod

1) Orell. n. 2493 male tamquam integram exhibet, quamquam recte suppleta est a Morcellio, cuius auctoritate deceptus est. De cenatorio, quod hic commemoratur, infra dicetur.

2) Itaque scribendum esse censeo Q. L., neque id difficile in hac inscriptione, in qua mendum inesse etiam vs. 4 demonstrat. Alius *Claudialis*, quem Muratorius p. 747, 1 deprehendebat, et mendosa et, ut opinor, ementita inscriptione nititur. Sed verus et Veronensis quidem coloniae libertus, *C. Veronius Carpus* est apud Maff. Mus. Ver. p. 83, 1 (Murat. p. 165, 4; Orell. n. 2371), qui sic nominatur VI VIR. CL. MAI. Inepte has notas Muratorius explicat de *Seviro Claudiale Maiale*, ut Maiae religionem Veronae fuisse putet, nec probo aut Maffeium aut Morcellium, quorum ille *Claudialem maiorem* interpretatur, qualis nullus usquam legitur, hic praenomen significari censet mulieris, cuius nomen insequitur. Equidem minus recte legisse arbitror Maffeium et fuisse in lapide vel MAR. vel MART., ut *Martialis* i. e. socius sodalicii in honorem Martis instituti significetur. Nam talem Martialem cum seviro Augustale coniungi video in inscriptione accuratissime descripta apud Marin. Act. fratr. Arv. I p. 158 (Orell. n. 3361 et 3925).

supra posui, Augustales, postquam peculiarem Claudii religionem asciverunt, appellatos esse Augustales et Claudiales vel Augustales Claudiales vel denique simpliciter Claudiales. Quodsi ita est, quid impedit, quin etiam Augustales aliquando appellatos esse censeamus? Et sic statuo nomenque Claudialium omitti, similitudine equidem ductus eorum, de quibus supra disputavimus, sodalium.

Quid autem factum esse censemus in reliquis imperatoribus, qui alius gentis essent ac Iuliae, in quorum honorem sodales Flaviales et Antoninianos institutos esse constat? Horum quod simile esset, in municipiis nihil inveni; nam inscriptio, quae est apud Grut. p. 19, 3, in qua invenitur ***Sevir Augustalis, sodalis Traianalis et Hadrianalis***, inepte a Ligorio ementita est. At ***Flavialium*** aliqua superest memoria, ut in hac inscriptione Tudertina, quam habet Grut. p. 19, 6 (emendatiorem Morcell. de stil. inscr. I p. 51; inde Orell. n. 1228 et n. 3726):

PRO. SALVTE.
COLONIAE. ET. ORDINIS.
DECVRIONVM. ET. POPVLI.
TVDERTIS. IOVI. OPT. MAX.
CVSTODI. CONSERVATORI.
QVOD IS. SCELERATISSIMI. SERVI.
PVBLICI. INFANDO. LATROCINIO.
DEFIXA. MONVMENTIS. ORDINIS.
DECVRIONVM. NOMINA.
NVMINE. SVO. ERVIT. AC. VINDI
CAVIT. ET. METV. PERICVLORVM.
COLONIAM. CIVESQVE LIBERAVIT.
L. CANCRIVS. CLEMENTIS. LIBERTVS.
PRIMIGENIVS.
SEXVIR. AVGVSTALIS. ET. FLAVIALIS.
PRIMVS. OMNIVM. HIS. HONORIBVS.
AB. ORDINE. DONATVS.
VOTVM. SOLVIT.

Habemus hic libertinum hominem ***Sexvirum Augustalem et Flavialem***, et quidem ***primum omnium his honoribus ab ordine donatum***, ut, cum sodales Flaviales ab Tito imperatore Romae institutos esse supra demonstrarimus, hic titulus eodem fere imperatore positus esse videatur. [1] Idemque sodalicii genus significatur apud Grut. p. 376, 1 (Orell. n. 3932) in inscriptione Bergomensi

V. F.
L. BLANDIVS. C. F.
VOT.

1) Sunt sane nonnulla in eo, quae dubitationem moveant, nec verum esse existimarem, nisi iis auctoritatibus niteretur, de quibus dubitari non liceat. Nec satis apparet, quid servus publicus, cuius scelus Iupiter vindicavit, peccarit. Equidem minas nominibus decurionum ascripsisse puto; nam *eruit* videtur esse idem quod *detexit*; certe quae a Morcellio exhibetur explicatio, parum placet.

IIIIII VIR. ET.
AVGVSTALIS. ET.
FLAMINALIS.
SIBI. ET.
VALERIAE. L. F.
RVSTICAE.
VXORI.

Nam dubium esse non debet, quin Hagenbuchius apud Orell. recte legerit *Sevir et Augustalis et Flavialis*, quia *Flaminales* nulli omnino sunt, atque hoc *Sevir et Augustalis et Flavialis* idem est ac *Sevir Augustalis et Flavialis*, ut infra intelligemus *Seviros et Augustales* eosdem esse ac *Seviros Augustales*. Atque ut supra habuimus non modo *Augustales et Claudiales*, sed etiam *Claudiales* simpliciter, item est *Sevir Flavialis* apud Grut, p. 96, 10 (Orell. n. 1795):

MEFITI.
L. CAESIVS.
ASIATICVS.
$\overline{\text{VI}}$ VIR. FLAVIALIS.
ARAM. ET. MENSAM.
DEDIT. L. D. D. D.,

itemque in lapide Taurinensi apud Maff. Mus. Ver. p. 217, 3:

V. F.
C. RABVRIVS.
MELISSVS.
$\overline{\text{V}^{\text{I}}}$ VIR. ET.
. . . . VIALIS.
. . . ET. SVIS.

Vix enim dubitari potest, quin explendum sit *Sevir et Flavialis sibi et suis*, itaque expletum edidit Mur. p. 681, 6. [1]) Quid autem iam ex his inscriptionibus colligi potest? Flaviales sunt et libertini et ingenui, fiunt a decurionibus, habent seviros, quae omnia item invenimus in Augustalibus. Tum ut Claudiales, ita coniunguntur cum Augustalibus, ut tamen, si separentur et seorsim commemorentur, nullum aliud sodalicii genus dici videatur. Quare cum Augustales et Claudiales eosdem fuisse viderimus, idemque sodalicium, quod cognomen modo aliud addidit propter additam alius imperatoris venerationem, sequitur, ut item Augustales et Flaviales iidem homines fuisse videantur. Ac quoniam in ingenti numero Au-

---

1) Invenitur praeterea XV vir Flavialis, ut existimatur, apud Gor. Etrusc. II p. 18 (Mur. p. 307, 3; Orell. n. 2375) in hac inscriptione *C. Bellicus Natalis Tebanianus Cos. XV vir Flavialium.* Sed hic Flavialis, si verus sit, primum non pertinet ad hos municipales, de quibus disputamus; nam consul ea dignitate est, ut municipalis Flavialitas in eum cadere non possit. Deinde, ut fatear, quod sentio, dubito paululum, num verus sit; sin est, numero hunc sodalium Flavialium, qui a Tito in honorem patris instituti sunt, adiiciendum esse existimo.

gustalium admodum rara est Flavialium memoria, idem factum esse censeo, quod supra in sodalibus posteriorum imperatorum intelleximus, ut, etiamsi non adderetur Flavialium nomen, veneratio tamen et cultus imperatorum Flaviorum apud Augustales esset eaque causa videtur fuisse, cur ipsorum horum posteriorum imperatorum, quorum sodales publice Romae instituti erant, nulli inveniantur peculiares sodales in municipiis. Cultus eorum non minor erat quam Romae latebatque in Augustalibus, nomen silebatur Augustalesque appellabantur non amplius, qui Augusto Iuliaeque genti, sed qui omnibus imperatoribus divino honore affectis sacrati essent.

De *muneribus* Augustalium dicere difficillimum est propterea quod, cum in solis inscriptionibus commemorentur, vix potest colligi, qualia illa munera, quorum mentio fit, fuerint. Utor igitur inscriptione illa Narbonensi, quam supra attuli, quae quamquam non pertinet ad Augustales, ostendere tamen videtur, cuius generis etiam Augustalium officia fuerint. In ea igitur plebs Narbonensis sex sacerdotes, quos numini Augusti fecerat, si demas eum diem, quo singulare aliquod beneficium colonia acceperat, binos quotannis dies celebrare iussit, natalem eius et eum diem, quo imperium susceperat, et sic quidem, ut sex illi sacerdotes hostias singulas immolarent et colonis thus et vinum ad supplicandum praestarent. Atque hos duos dies non viventibus modo imperatoribus, sed etiam mortuis celebratos esse existimo; certe cum moris fuerit magnorum virorum dies natales quotannis celebrari, [1]) quidni idem in imperatoribus, ab eo imprimis sodalicio, quod in eorum honorem institutum erat, factum esse censebimus? Ac sic imperatorum natales etiam mortuorum celebratos esse invenimus, ut Augusti die natali perennes ludi equestres decreti sunt (Dio LV, 6), de quibus Dio LVII, 14 a Tiberio celebratis sic narrat: ἐγένοντο δὲ καὶ ἄλλαι ἐν τῇ τῶν Αὐγούστου γενεθλίων ἱπποδρομίᾳ μάχαι, καί τινα καὶ θηρία ἐσφάγη καὶ τοῦτο μὲν καὶ ἐπὶ πολλὰ ἔτη οὕτως ἐποιήθη, ut significet, sacra natalibus Augusti post aliquod tempus desita esse publice fieri. Tiberii natales a C. Caesare celebratos esse narrat Dio LIX, 24; Titi fratris natalicia cum fierent, abolevit Domitianus (Dio LXVII, 2), Getae sustulit Caracallus (Dio LXXVII, 12) relictis patris nataliciis (Dio LXXVIII, 17). [2]) Deinde diem, quo imperatores imperium suscepissent, publice celebrari consuevisse non de Augusto modo constat,

1) Ut Senec. Epist. 64 *Quidni ego magnorum virorum imagines habeam et natalicia celebrem?* et de Silio Plin. epist. III, 7 narrat, religiosius eum Virgilii natalem quam suum celebrare. Natales autem non Augusti modo, sed etiam aliorum imperatorum publice celebratos esse, documento est de Tiberio Suet. c. 26 *Natalem suum plebeiis incurrentem circensibus vix unius bigae adiectione honorari passus est* (Dio Cass. 57, 8); cf. Dion. Cass. 58, 12; de Gaio Caesare Suet. in eius vita c. 26: cf. Dion. LIX, 7 et 20; de Vitellio Tacit. Hist. II, 95, Dio LXV, 5. Atque hoc ita erat usitatum, ut non principis modo, sed etiam uxoris liberorumque eius natalicia celebrarentur publice, ut Messalinae apud Dion. LX, 12, ut Britannici, apud Dion. LX, 17, ut C. Caesaris, Augusti filii, apud. Dion. LIV, 8. Cf. Plin. Epist. X, 89.

2) In iis imperatoribus, qui non origine, sed adoptione successerunt, ut in Hadriano, dubium est, utrum eo die, quo nati erant, an eo, quo adoptati, natalicia sua celebrarint. Vide Reim. ad Dion. Cass. LXIX, 8. Sed constat eum quoque diem, quo adoptati sunt, natalem esse nominatum Vide Spartian. in Hadr. c. 4.

sed de Vespasiano narrat Tacit. Hist. II, 79 *isque primus principatus dies in posterum celebratus;* de Traiano Plin. Epist. X, 60 *Diem, domine, quo servasti imperium, dum suscipis, quanta mereris laetitia, celebravimus. — Praeiimus et commilitonibus ius iurandum more sollemni praestantibus et provincialibus, qui eadem certarunt pietate, iurantibus,* idemque ep. 103 *diem, in quem tutela generis humani felicissima successione translata est, debita religione celebravimus, commendantes diis, imperii tui auctoribus, et vota publica et gaudia.* Cf. ep. 61 et 104; de Hadriano Spartian. in eius vita c. 4 *Tertio iduum Augusti natalem imperii instituit celebrandum;* Macrinus imperator ludos in eum diem, quo imperium suscepisset, a senatu decretos recusavit, Dio LXXVIII, 17. Nec modo hic dies imperii, qui vocatur, quamdiu vixerunt imperatores, celebrabatur, sed etiam mortuorum: Severi certe imperatoris diem imperii suscepti etiam sub Caracallo publice celebratum esse narrat Dio LXXVIII, 8. Coniicere aliquis possit, etiam consecrationis diem quotannis esse celebratum, ideo quia sodales Augustales in exequiis Neronis celebrandis operati esse dicuntur. Sed incertum hoc nec memini ullo vetustatis testimonio confirmari. Sed hoc credo, ut in ara Narbonensi accessit ille dies, quo Augustus iudicia plebis decurionibus coniunxit, item in Augustalibus quosdam accessisse dies, quibus aut civitas aut ipsi beneficium aliquod ab imperatore accepissent aut denique alia res accidisset, quae peculiariter celebranda esse videretur. Quid autem? quaerat aliquis. Augustales si eorum omnium imperatorum, qui divinis honoribus ornati erant, dies et natales et imperii suscepti celebrabant, ingens iis onus imponebatur, quod vix quisquam sustinere posset. Neque ego omnes hos dies pari sollemnitate actos esse existimo, multis sine dubio ii soli, qui eius imperatoris, cuius dies agebatur, proprii erant sodales, conveniebant et sacrificabant, aliorum imperatorum dies prorsus negligebantur, ut Augusti natalieiis ludos equestres celebratos et sacra facta esse narrat Dio l. s. l. per multos annos. Sic demptis multis relinquebatur tamen satis, quod onerosum esset Augustalibus, atque ita esse habitum infra ostendemus.

Qua autem ratione dies hi, quos diximus, ab Augustalibus celebrabantur? Significat rursus ara Narbonensis, et ipsos sacra fecisse et iis, qui vellent, thus et vinum ad supplicandum praestitisse. Cum sacrificiis autem coniunctae erant epulae, quae pro iure collegii ab Augustalibus publice obibantur. Ostendit hoc et titulus Petelinorum civitatis, quem infra afferemus, et aliarum rerum similitudo; nam non modo in natalibus imperatorum Romae publice celebrandis epulas fieri consuevisse constat, ut de Augusto narrat Dio LIV, 26 et 30, de Britannico, Claudii filio Dio LX, 17, multaque praeterea de epulis, quae in votis publicis obibantur, congessit Gothofred. ad Theod. Cod. XVI, 10 (de paganis) 17. De ludis statis, quos communi sumptu Augustales celebrarint, nullam certam invenio memoriam; nam extraordinarii erant ludi, qui commemorantur apud Grut. p. 9, 4 in titulo Neapolitano:

Q. VOLVSIO. SATVRN.
P. CORNELIO. SCIP. COS.
AVGVSTALES.
QVI . . . . CLAVDIO.
CAESARI. AVGVST. ET.
. . . . AVGVSTAE.
I. O. M. ET. GENIO. COLONIAE.
LVDOS. FECER. XIII. XII. K. MART.
C. TANTILIVS. CC. L. HYLA.
CN. POLLIVS. CN. L. VICTOR.
C. IVLIVS. C. L. GLAPHYR.
CVRATORIBVS.
. . . .

Posita est inscriptio anno 56 p. Chr., recteque nomina Neronis et Agrippinae erasa esse statuuntur vs. 4 et 6. Dies a. d. XIII. K. Mart. erat natalis coloniae, isque per biduum celebratus est a tribus Augustalibus libertini quidem generis, sed pecuniosis, ludis gladiatoriis, qui facti esse dicuntur imperatori eiusque matri, Iovi et Genio coloniae. [1])

Romae qui sumptus necessarius erat ad haec sodalium Augustalium sacrificia, non dubitandum est, quin publice praebitus sit, qui cum non videbatur sufficere, ipsi sodales de suo adiiciebant et facile poterant, quia principes homines erant et locupletes. Neque in municipiis non dabatur publice, unde sacrificia fierent, sed item addere oportebat Augustales eamque causam fuisse dixi, cur Augustales plerumque crearentur ii, qui non essent decuriones. Atque quo communes hi sumptus facilius tolerarentur, ad exemplum veterum collegiorum Augustalium quoque collegium quasi quoddam vel corpus publice a decurionibus constitutum est, cuius una quasi esset respublica, uni honores, unum aerarium; haec enim propria collegiorum esse constat. Quamquam non saepe nominatur *collegium Augustalium*, ut in titulo Dacico apud Sestin. itin. Transilvan. p. 198 (Orell. n. 3953):

NVMINI. AVG.
ET. GENIO. IMP. CAES. T.
AE. HADRIAN. ANTONINI.
COLLEG. AVGVSTAL. IMPEN
DIS. SVIS. FECERVNT. PRAE
FEC. F. C. IVL. CRESCENTE.
L. P. D. D.

In hoc, utut reliqua explicantur, [2]) certum est collegium Augustalium, quod nescio quid nu-

1) Cf. similem titulum coloniae Cumanae, quo item ludi natali die coloniae editi commemorantur, apud Grut. p. 484, 6 (Orell. n. 2533).

2) Dubito enim, num recte Orell. vs. 5 explicarit *praefecto fabrum C. Iulio Crescente.* Cur enim ille praefectus fabrum appellatur? quid fecit? Certe omissum est *curatore*, atque etiamsi hoc ita sit, insolitum tamen est, titulum et honorem anteponi nomini. Quare nullus ille praefectus fabrum: immo C. Iulius Crescens ipse erat Augustalis faciendumque curaverat hoc monumentum, ut PRAEF. F. interpretari malim *praefecto*

mini Augusti et genio Antonini Pii dedicavit. In aliis titulis, ut Grut. p. 402, 2; Mur. p. 511, 5 collegium non Augustalium, sed aliud aliquod dici videtur. [1]) Frequentius autem appellatur *corpus Augustalium*, ut in fragmento tituli Neapolitani apud Maff. Mus. Ver. p. 477, 2:

. . . .
AVGVSTALIVM. CORP . . . .
QVAE. EIS. L. LAECANIVS . . .
PRIMITIVOS. CVRATOR. IPSOR . . . .
PERPETVVS. EDIT. ITAVT. EX. RED . .
EOR. QVODANNIS. DIE. NATALI. SVIS.
. . . I. AN. DIVISIO. FIAT. ET. EPVL.

In hoc enim recte cogitari de corpore Augustalium demonstrat alter titulus Neapolitanus, quem infra afferemus, in quo *Augustales corporati* commemorantur. [2]) Itemque dicitur in lapide Dalmatico apud Grut. p. 372, 7:

L. AVRELIO.
L. L. VICTORI.
DOMO. EQVO.
AVG. ET. SENIAE.
SACR. PRIM. CORP.
AVGVSTALIVM.
ORNAT. ORNAM.
DECVRIONALIB.
PLEB. SENIENSIVM.
AERE. CONLATO.
CVRANTE. AVR. SECVNDO.
. . . .

In hoc [3]) L. Aurelius, *domo Aequo* ex nota colonia Dalmatica, appellatur *Augustalis* domi suae et *Seniae sacerdos* (legi enim oportet SACER) *primus corporis Augustalium*, *ornatus ornamentis decurionalibus*. Cf., quae infra dicentur de seviris Augustalibus corporatis. Verum etiamsi

---

faciundo, in quo casus similes iuxta positos non minus ferendos esse iudico quam vs. 7, ubi L. P. D. D. recte Orell. explicat *loco publico decreto decurionum*.

1) Apud Mur. p. 511, 5 sunt haec: *C. Manilius Fortis Augustalis patronus collegi et Lucullana Species*, ubi apparet hominem fuisse alius collegii patronum, cuius nomen periit, quia titulus mancus est. Cf. Orell. ad n. 3927. Sic, ut unum de multis afferam exemplis, idem homo et sevir Augustalis et patronus aliorum corporum est apud Grut. p. 474, 1. Cf. autem, quae infra de seviris Augustalibus disputabimus.

2) Sunt autem etiam alia in hac inscriptione notabilia. Agi enim patet de pecunia, quam corpori Augustalium legaverat *L. Laecanius (L. F.) Primitivos, curator ipsorum perpetuus;* nam ingenuum, non libertinum fuisse hominem existimo ideo, quia curator Augustalium fuit. Ex reditibus eius pecuniae iusserat quotannis die suo natali divisionem institui Augustalibus et epulum, qui dies natalis, ut ex vs. 7 coniicio, incidit in mensem Ianuarium. Quare extrema pars tituli sic legenda erit inde a vs. 5: *dedit, ita ut ex reditu eorum quotannis die natali suo . . . . Ian. divisio fiat et epulum.*

3) Secutus autem sum in titulo describendo Apianum p. 367, ex quo habet Gruterus, nisi quod cum hoc vs. 11 addidi AVR. ex Fabrettio, qui lapidem contulerat. Cf. autem similem lapidem Seniensem, quem supra attuli. Diversum autem hinc est *corpus Aug.*, quod videtur dici apud Grut. p, 618, 3.

Augustales non nominarentur aut collegiati aut corporati, fuisse constaret inde, quod ad exemplum reliquorum collegiorum et aerarium commune habebant et honores communes, de quibus infra dicetur. Et aerarium quidem eorum dicitur *arca*. Testis est inscriptio apud Mur. p. 700, 6 (Mur. p. 1680 5; iMarin. nscr. Alb. p. 85, qui duobus extremis versibus caret):

C. FAVSTIVS.
PRIMITIVOS.
CVRATOR.
ARC. AVG.
EIDEM. CORP.
. . . N. DED . . . .
. . NO. VI. CO . . .,

in qua etsi extrema ita corrupta sunt, ut restitui nequeant, *curator* tamen *arcae Augustalium* satis clare apparet.[1] Cf. quae infra de arca VI virum Augustalium dicentur. Arca autem haec ita constituebatur, ut et certis quibusdam temporibus socii conferrent et ii, qui reciperentur, pecuniam inferrent. Hoc posterius inde intelligitur, quod nonnunquam, si qui alia ratione de republica vel de Augustalibus bene meruisse viderentur, hi gratis fieri dicebantur, et quidem a decurionibus, quoniam ab his omnino Augustales creabantur. Is appellatur *Augustalitatis honos gratuitus* in titulo Campano apud Mur. p. 673, 1 (Orell. n. 3213; Grut. p. 354, 7):

D. M. S.
Q. ANNIO. IANVARIO.
EXACTORI. OPERVM. PVBL.
ET. THEATRI. A FVNDAMENTIS.
HVIC. ORDO. DECVRIONVM.
OB. MERITA. EIVS. HONOREM.
AVGVSTALITATIS.
GRATVITVM. DECREVIT.
VIXIT. ANN. LXXI. VIVOS.
SIBI. FECIT. POSTERISQ. SVORVM.

Quae inscriptio etiam ideo memorabilis est, quod *honos* dicitur Augustalitatis,[2] ut in alio titulo, quem supra attulimus. Ipse homo dicitur *Augustalis gratuitus*, ut in hac inscriptione Mediolanensi apud Grut. p. 172, 13 (ex Apian. p. 37):

M. DOMITIVS. M. F. PRISCVS.
Q. A. IIII VIR. A. P. AVGVR. D. D.
GRATVITVS. PODIVM. CVM.
LORICA. ET. ADITVS. VIVOS. FECIT.

Neque enim dubium esse debet, quin vs. 2 pro eo quod est AVGVR. legendum sit AVGVST., ut *Augustalis decreto decurionum gratuitus* dicatur, efficiturque hinc simul idem homo et Augu-

1) Est etiam alia inscriptio Reatina apud Grut. p. 414, 2 (minus recte exhibita a Mur. p. 198, 1), in qua *arca Augustalium* commemoratur, qua infra rursus utendum erit.

2) Quod *exactor operum publicorum et theatri a fundamentis* appellatur Q. Annius, extraordinarium erat munus, a decurionibus homini earum rerum perito delatum.

stalis et honoribus municipalibus functus; fuerat enim *quaestor aerarii et IIII vir aedilicia potestate.* Similisque est hic titulus, Lambaci in Carniola inventus, apud Mur. p. 2025, 2 (Orell. n. 3918):

DIIS. MAN.
L. PVBL. APRO.
LIB. ET TABVL.
REI. PVBL. AVG.
GRATVITO.
VIVVS. FECIT. SIBI.[1])

Diciturque adeo *Augustalis gratis*, parum sane grammatice, in fragmento lapidis Calatini apud Maff. Mus. Ver. p. 354, 4:

P. SERVILIVS. P. L. SVCCESSVS.
AVG. GRATIS. CALATIA. MAGNA.
. . . . . . SIBI. ET. CLVVIAE.
M. CONTVB. H. M. N. S.,

in quo etsi nonnulla incerta, certus est ille *Augustalis gratis* vel *gratis factus.* [2]) Ex his autem exemplis, quae allata sunt, intelligendum est, minus verum esse, quod docet Morcell. de stil. incript. I, 18, imprimis ingenuis hunc honorem esse habitum, ut gratis Augustales fierent. Ex his enim quattuor gratuitis Augustalibus unus modo fuit ingenuus, tres libertini.

Et sic quidem conficiebatur pecunia, qua Augustalibus opus erat ad munera publica obeunda; habebant autem praeterea quaedam quasi privata, quae similiter omnibus collegiis erant, ut si cui imperatori ponendus erat titulus, qualem supra habuimus Tiberio dedicatum, aut omnino civi alicui bene de republica merito, qualis est titulus Allifanus apud Grut. p. 409, 3, qui ab Augustalibus positus est L. Fadio Piero II viro munificentissimo, qui ob honorem decurionatus et rursus propter II viratum ludos ediderat, et Veientanus apud Orell. n. 108, Cn. Caesio Athicto, omnibus municipii honoribus functo, positus, et is, qui est apud Grut. p. 388, 3, quem VI viri Augustales statuerunt. Tales titulos nisi permissu decurionum a collegiis poni non potuisse intelligimus ex inscriptione apud Grut. p. 444, 2 (Orell. 4135). Scimus praeterea moris fuisse apud veteres Romanos, ut, si quis vellet memoriam suam apud posteros celebrari, collegio alicui certam pecuniam testamento relinqueret, ex cuius pecuniae reditu

1) L. Publicius Aper, id quod ipsum eius nomen demonstrat, *libertus et tabularius reipublicae* suae fuit idemque *Augustalis gratuitus.*

2) Parum autem recte descriptum esse apparet vs. 4, in quo esse oportet H. M. H. N. S. i. e. *hoc monumentum heredem non sequitur*, itemque vs. 2 falsum illud quasi vel mulieris vel contubernalis nomen *Calatia Magna.* Equidem cum titulus ad rempublicam Calatinam pertineat, vix dubito, quin pro eo legendum sit CALATIAE. FACTVS, unde *Augustalis gratis Calatiae factus* efficitur, et in initio vs. 4 mutilo lateat alterum nomen contubernalis.

quotannis natali suo id collegium epularetur, ut in inscriptione Crotoniensi apud Orell. n. 4414 pater filiae suae diem natalem quotannis a decurionibus iubet epulo celebrari, ut in inscriptione Beneventana apud de Vitam inscr. Benev. p. 167 (Orell. n. 4132) pater et filius cum aedificio nonnulla extruxerunt, tum pecuniam reliquerunt, ut pagani sui filii diem natalem festo epulo obirent, ut similia multa exempla citari possunt. Atque eiusdem generis est, quod in titulo apud Mur. p. 198, 1 de ipsis his Augustalibus commemoratur, quem titulum dubiae fidei esse supra significavimus: alia infra in seviris Augustalibus afferemus. Sic Augustales non modo ad munera illa publica, quae qualia fuerint, supra a nobis expositum est, pertinebant, sed etiam ad similitudinem prorsus reliquorum collegiorum varias partes vitae communis attingebant. Quamquam in his si qua erat molestia, sumptus certe nullus erat, qui in divorum imperatorum veneratione consistebat.

Haec postquam de muneribus Augustalium explicavimus, sequitur deinceps, ut de loco, in quem convenire consueverint, dicendum esse videatur. Primum autem quodvis, ut existimo, collegium habere oportebat templum, quo coirent, quippe cum coniunctum esse soleret cum religione deorum. Itaque collegium Dianae et Antinoi, cuius tabulam nuper Mommsenius edidit, in aedem Antinoi, sodales Antoniniani, de quibus supra diximus, in aedem Divi Pii et Divae Faustinae convenire solebant. Quare item Augustales templum suum habebant, Divo Augusto dedicatum, cuius religione nullam civitatem caruisse existimo, in maioribus quidem et opulentioribus oppidis, cum accessisset aliorum imperatorum religio, ii suam cuiusque gentis aedem habuerint, in minoribus una fuerit omnium imperatorum. Cum autem munera Augustalium triplicia fuisse ostenderimus, quae et sacrificiis et epulis et communibus conventibus constarent, fieri poterat, ut triplicibus his muneribus templum sufficeret. Quod cum de sacrificiis sponte appareat, in epulis idem valere ostendit Vopisc. in Tacit. c. 10, qui narrat imperatorem Tacitum *argentum mensale, quod privatus habuisset, ministeriis conviviorum, quae in templis fierent, dedicasse*, et Ammian. Marcell. XXII, 12, 6, qui multa et intempestiva convivia in templis celebrata esse significat. Omninoque nulli erat veteribus religioni in templis convivari. Vide Vales. ad Ammian. Marcell. l. l. et Gothofred. ad Theod. Cod. XVI, 10 (de paganis) l. 17. Denique item in templis, conventus alios habitos decretaque a collegiis fieri consuevisse cum alia docent, tum titulus apud Grut. p. 1101, 1 (Mur. p. 563, 1; Orell. n. 4133), quo decretum collegii fabrorum et centonariorum Regiensium anno 190 p. Chr. de patrono cooptando *in templo* factum continetur, conferrique poterit etiam titulus Veientanus, qui supra p. 20 a nobis citatus est. Verum in maioribus civitatibus, si ad opulentiam quandam collegium Augustalium pervenisset, apparet relictis templo sacrificiis, et epulis et conventibus sua esse loca constituta. Atque his quidem proprie *scholae* destinatae sunt. Sic *schola collegii fabrorum tignariorum* Tolentini

commemoratur apud Grut. p. 169, 6 (Mur. p. 520, 6; Orell. n. 4088) [1]), Mantuae incerti generis schola apud Mur. p. 476, 1 (Orell. n. 2180); Arimini schola collegii fabrorum apud Mur. p. 480, 9 (ibid. p. 2016, 1; Orell. n. 4089); in titulo Romano *fabri, qui consistunt in scola sub theatro Aug. Pompeian.* apud Orell. n. 4085; in alioque Romano *schola sub porticu consecrata Silvano et collegio eius* apud Orell. n. 4947; atque decretum collegii centonariorum Ostranorum in *schola* factum est apud Mur. p. 563, 2, collegii fabrorum Sentinatium item in schola factum ibid. p. 565, 1. [2]) Ad epulas autem obeundas peculiaria triclinia a collegiis comparabantur, ut decretum collegii centonariorum Sentinatium factum *in tricliniis domus collegii centonariorum* invenitur apud Mur. p. 564, 1; infraque in insigni inscriptione item triclinia Augustalium commemorari videbimus. At schola eorum ubi nominetur, nescio, sed idem significari existimo *phetrio*, quod appellatur in duabus inscriptionibus Caeretanis maxime memorabilibus apud Grut. p. 214 et 215, 1 (Orell. n. 3787 et 3788). Causa earum haec fuit. Ulpius Vesbinus, imperatoris Traiani libertus, anno 113 p. Chr. petiit a decurionibus municipii Caeritum, ut sibi locum publice darent sub porticu basilicae Sulpicianae sive in angulo porticus basilicae, in quo Augustalibus municipii *phetrium* aedificaret. Quem locum cum decuriones assentiente curatore municipii dedissent, extructum est phetrium dedicatumque anno insequenti, in quo hic erat titulus:

VESBINVS. AVG. L. PHETRIVM. AVGVSTALIBVS.
MVNICIPI. CAERITVM. LOCO. ACCEPTO. A. RE. P.
SVA. IMPENSA. OMNI. EXORNATVM. DONVM. DEDIT.

additumque est huic principio ipsum decurionum decretum curatorisque epistola, qua munificentia hominis collaudatur. Ornamentum autem phetrii commemorat alter hic titulus ibidem repertus:

SIGN. GENIO.
VESBINVS. AVG. L.
PHETRIVM.
AVGVSTALIBVS.
CVM. ARA. GENI.

1) Idem collegium fabrorum tignariorum Tolentini commemoratur apud Grut. p. 194, 2, ubi pro eo, quod est PATRONVS. COLL. EVID. FABR. TIGNARIOR. lege COLLEGII cet.

2) Existimat autem Orell. Inscript. II p. p. 245 etiam *curiam* dici collegiorum, quod mihi quidem parum probabile est. Nam apud Grut. p 471, 5 (Orell. n. 3936), ubi T. Tadius dicitur *quinquennalis collegii centonariorum anni quo curia dedicata est*, potest sane curia civitatis, non collegii dici, et apud Grut. p. 18, 2 quae *curia* commemoratur, incertissimi est generis et apud Grut. p. 444, 2 (Orell. 4135), quoniam decretum est decurionum, apertissime civitatis curia dicitur; denique Murat. p. 1104, 5 (Grut. p. 59, 6) miram sane sibi *curiam Ostiensium fabrum navalium dendrophororum* invenire visus est; ea periit titulo illo rectius a Gervasio in disputatione de inscriptione Sipontina p. 24 exhibito. Atque his fere inscriptionibus utitur vel uti poterat Orellius. Quamquam sane hoc poterit afferre, quoniam φράτρα latine dici soleat curia, inde, quod phetrium nominetur Augustalium in titulo Caeretano, quem allaturi sumus, colligi posse etiam curiam fuisse Augustalium.

MVNIC. CAERIT.
DONVM. DEDIT.
DEDIC. III. ID. IVN.
Q. NINNIO. HASTA.
P. MANILIO. VOPISCO. COS.

Talia si in humili et parum opulento Caeritum oppido fiebant, quid in iis civitatibus, quarum Augustales divitores essent, factum esse putabimus?

Totum autem hunc locum de muneribus, de scholis, de universa ratione Augustalium eximie illustrat inscriptio inventa Petiliae in Calabria citeriore apud Grut. p. 215, 1 (emendatior apud Fabrett. p. 404, 306; Orell. n. 3678, cf. Grut. p. 437, 6), cuius initium est hoc:

M. MECONIO. M. F.
COR. LEONI.
AED. IIII VIR. LEG. COR.
QVAEST. PEC. P.
PATRON. MVNICIPI.
AVGVSTALES. PATRONO.
OB. MERITA. EIVS.
L. D. D. D. [1])

In latere deinde dextro basis haec leguntur, quae, quia longiora sunt, accurate secundum Gruterum et Fabrettium emendata vulgaribusque litteris expressa apponimus:

Kaput ex testamento. Hoc amplius reip. Petelinorum dari volo || *Hs.* $\overline{X}$. $\overline{n}$. (i. e. Hs. decem millia numero), *item vineam Caedicianam cum* || *partem* (i. e. parte) *fundi Pompeiani, ita ut optima maxi* || *maq. sunt finibus suis, qua mea fuerunt.* [2]) *Volo au* || *tem ex usuris semissibus Hs.* $\overline{X}$. $\overline{n}$. *comparari Augus*||*talium loci* $\overline{n}$ (i. e. nostri) *ad instrumentum tricliniorum du* || *um, quod eis me vibo* (i. e. vivo) *tradidi, candelabra et lucernas* || *bilychnes arbitrio Augustalium, quo facilius statis* || *diebus epulas* [3]) *obire possint, quod ipsum ad utilitatem* || *reip.* $\overline{n}$ (i. e. nostrae) *pertinere existimavi, facilius subituris onus Augus*|| *talitatis,* [4]) *dum hoc commodum ante oculos habent.* || *Caeterum* (i. e. caeterorum) *autem*

1) M. Meconius Leo fuerat *aedilis*, *IIII vir lege Cornelia* (sic certe explicatur), *quaestor pecuniae publicae*, qui cum ea quae infra dicentur beneficia in Augustales municipii sui contulisset, hanc ab iis statuam accepit. Est autem etiam alius eiusdem M. Meconii titulus ibidem inventus positusque a decurionibus, Augustalibus, populo, apud Fabrett. p. 463, 93 (Orell. 3677).

2) Fabrett. habet *quae mea fuerunt*, parum recte. Neque enim hoc vult Meconius, se legare quae sua fuerint, id quod sponte apparet, sed legare se vineam et fundum iis finibus, eatenus, quatenus sua fuerint. Notabilis praeterea forma *ita ut optima maximaque sunt* i. e. ita ut eodem iure sint, quo fuerunt, cum ipse haberet.

3) Sic enim emendo, quae apud Grut. sunt STRATI. IVS. PVBL. OBIRE, apud Fabrett. STRATINIBVS. PVPLICIS. OBIRE, quae iusta sententia carere patet. Cf. quae supra p. 37 de muneribus Augustalium a nobis disputata sunt.

4) Ablativus est absolutus, cuius subiectum repetendum est ex eo, quod antecedit *reipublicae* i. e. *cum facilius subituri sint onus Augustalitatis.*

temporum usuras semisses [1]) *Hs.* $\overline{X}$. $\overline{n}$. *ad instru* || *mentum Augustalium arbitrio ipsorum esse volo, quo* || *facilius munus meum perpetuum conservare possint,* || *neque in alios usus usuras, quas ita a rep. Petelinorum acceperint, trans* || *ferri volo, quam, si necesse fuerit, in pastinationem.* [2]) || *Vineam quoq.* (i. e. quoque) *cum parte fundi Pompeiani sic. ut su* || *pra dixi, hoc amplius Augustalibus loci.* $\overline{n}$. *dari* || *volo, quam vineam vobis Augustalibus* [3]) *idcirco dari* || *volo, quae est Aminea, ut. si cogitationi meae, qua pro* || *spexisse me utilitatibus vestris credo, consenseritis* ||, *vinum usibus vestris dumtaxat quum* [4]) *publice epulas ex* || *creebitis, habere possitis. Hoc autem nomine relevati in* || *pendis facilius prosilituri hi, qui ad munus Augustalita* || *tis compellentur locatione vineae partis fundi Pompeiani vine* || *am colere poterint.* [5]) *Haec ita. ut cavi, fieri praestarique* || *volo. Hoc amplius ab heredibus meis volo praestari* || *reip. Petelinorum et a rep. Petelinorum corpori Au* || *gustalium ex praedis ceteris meis palum ridicam* || *omnibus annis sufficiens pedaturae vineae, quam Augustalibus legavi.*

Tum in sinistra parte haec addita sunt:

A vobis autem, Augustales, peto, hanc voluntatem || *meam ratam habeatis et ut perpetuo firmam* [6]) *obser* || *vetis, curae vestrae mandetis. Quo facilius autem* || *nota sit corpori vestro haec erga vos voluntas* || *ascribi volo caput, quod ad vestrum honorem pertinet.* [7])

---

1) Fabrett. VSVRA. SEMISSE, sed abl. quo pertinere possit h. l., nescio, cum sententia sit, M. Meconium iubere reliquas usuras i. e. quae non opus sint ad candelabra et lucernas bilychnes comparandas, esse ad instrumentum conservandum.

2) Verbum est proprium in colenda vinea eodemque pertinent, quae infra sunt *palus* et *ridica.* Quod paulo ante Fabrett. habet *Petelinorum*, omittitur apud Grut., qui corrumpit etiam ea, quae insequuntur, sic: VINEAMQVE. QVAE Q. CVM. PARTE cet.

3) Videtur esse oportere *Augustales*, ut paulo infra est, sed sculptoris hoc vitium esse existimo. Apud Grut. autem totus versus inde ab eo quod est *n. dari* usque ad *idcirco* omittitur. Quae autem sit *Aminea* vinea, i. e. quae vites Amineas fert, vide potissimum apud Plin. nat. hist. XIV, 4, 21.

4) Grut. *dum*, quod minus probo, sed intelligo tamen dubium esse, utrum *quum* an *cum* scriptum fuerit.

5) Constructio paulo est impeditior ac molestior: *hi qui ad Augustalitatis munus compellentur* (sic enim Grut. exhibet, Fabrett. vitiose COMPELLERENTVR) i. e. Augustales, *prosilituri* (nam mendose Grut. PROSPECTVRI, Fabrett. PROSPLITVRI) *facilius*, quia relevati sunt impendiis, vineam colere poterunt locatione vineae partis fundi Pompeiani. Vult autem vineam ita coli, ut sumptus colendi efficiatur locanda parte fundi Pompeiani, quare fortasse prius illud *vineae* abesse oportet. Scripsi autem *locatione*, quamquam et Grut. et Fabrett. habent LOCATIO et in additamentis modo Grut. invenitur abl., notabilisque forma *poterint*, quae dubito an errore orta sit.

6) Fabrett. habet PERPETVA. FORMA., Grut. PERPETVAM. FIRMAM., unde effeci id quod scripsi.

7) Si in exitu huius tituli nihil deest (nec video quicquam notari), falsum est quod Fabrett. habet TOTVM. LOCI. KAPVT, et quod apud Grut. est TVLI. L. KAPVT. Quare ita, ut scripsi, emendavi. Sententia enim quae esse debeat, patet quidque in simili re usurpetur, vide apud Orell. n. 4360.

Causa huius tituli quae fuerit, non difficile est ad intelligendum. M. Meconius, qui iam vivus Augustalibus patriae suae ita consuluerat, ut triclinia duo eorum supellectile i. e. lectis, veste, candelabris ornaret, eosdem testamento suo donavit. Legavit enim iis primum Hs. millia decem, quae cum usura semisse, quam usuram hinc illo tempore solitam fuisse intelligimus, quotannis efficiant sexcenos sestertios, ex hac pecunia primum addi vult instrumento tricliniorum candelabra et lucernas, tum, si hoc factum sit, conservari reliquum instrumentum. Praeterea legat Augustalibus vineam Caedicianam, i. e. in campo Caedicio, qui est circa viam Appiam in regione vini fertilissima non procul ab agro Caecubo, sitam, et partem fundi Pompeiani, qua locata sumptum, quo opus sit ad vineam colendam, effici vult, atque vino, quod redeat ex vinea Caediciana, uti iubet Augustales in epulis publicis. Confirmantur his, quae supra de tricliniis et de epulis publicis Augustalium disputavimus et quod *corpus* eorum dici exposuimus. Duae praeterea res notabiles sunt, primum quod, quae pervenire volebat ad Augustales M. Meconius, reipublicae legavit, cuius rei causa haec videtur fuisse, quod Augustalibus legata capere non liceret; nam hoc demum Marcus Antoninus iis permisit. [1]) Quod si ita est, colligendum erit, totum titulum ante tempus imperatoris illius esse positum, cum reipublicae quidem licebat legata capere, collegiis nondum licebat. Deinde *onus* dicitur *Augustalitatis compellique* cives ad id subeundum, ut intelligamus idem accidisse in hoc honore Augustalitatis, quod accidit in omnibus honoribus municipalibus, quos, cum initio magnopere expeterentur, quia et locupletes satis et multi erant, quibus deferri possent, postea constat adeo esse pro onere habitos, ut maximis poenis ac prope suppliciis homines ad decurionatum suscipiendum adigerentur. Existebat ideo paulatim *ordo* quidam *Augustalium*, quique per rem familiarem munera obire possent, cogebantur ad ea. Quare, ut decuriones, item Augustales nonnunquam facti sunt infantes, qualis ille fuit Pisauri, cuius titulus sepulchralis extat apud Donat. I p. 85, 4 (Orell. n. 3937):

CINERIBVS.
P. OPETREI.
AVGVSTALIS.
VIX. ANN. II. M. III.
OPETREIA.
MVSA.
VIX. ANN. XIII.

Nam certe hunc infantem, etsi ingenuae originis videtur fuisse, non ascivissent in numerum Augustalium, nisi inopia aliorum hominum, qui id munus subire possent, fuisset. Eandemque inopiam cum omnino hominum idoneorum tum ingenuorum causam fuisse, ut posterioribus imperatoribus maior longe esset Augustalium libertinorum numerus, supra a nobis demonstratum

1) Vide Mommsen. de collegiis et sodaliciis p. 123 sqq.

est. Atque ut decuriones ceterique magistratus municipales non una civitate continebantur, sed poterant esse in pluribus, item Augustales fuisse invenio saepe in pluribus civitatibus, ut Puteolis et Neapoli fuit ille Augustalis, cuius titulus est apud Romanell. itin. Pompei. II p. 237 (Orell. n. 4251):

M. ANTONIVS. TROPHIMVS.
AVGVST. PVTEOL. ET. NEAPOLI. NEGO
TIATOR. SAGARIVS. SIBI. ET. IVLIAE. IRENE.
CONIVGI. RARISSIMI. EXEMPLI. ET ANTONIAE.
IVCVNDINAE. F. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE.
SVIS POSTERISQVE. EORVM. ET. IVLIAE.
EVPHEMIAE. POSTERISQVE. EIVS.

Aliusque Augustalis *Puteolis et Cumis* est apud Grut. p. 481, 2; alius rursus Pisis et Lucae apud Mur. p. 1071, 1 multique saepe commemorantur VI viri Augustales duarum civitatum (vide Egger. l. s. l. p. 397), quos cum infra doceamus magistratus quasi fuisse Augustalium, item hoc loco adhibere poterimus.

Quod autem dixi ordinem fuisse Augustalium, satis multae demonstrant inscriptiones, ut Ostiensis illa apud Marin. inscr. Alb. p. 56 (Orell. n. 2204), in qua *ordo Augustalium* bene merito civi statuam posuisse dicitur et altera apud Marin. inscr. Alb. p. 149, qua explendam esse dicit eam, quae est apud Grut. p. 1097, 6. Similisque est haec, quam habet Mur. p. 2025, 3 (p. 203, 8), in vico Gordiano inter Marsos reperta:

C. RVTILIO. C. F. PAL. GALLICO. ORDO.
AVGVSTAL. PATRONO. OB. MERITA.
PATRIS. ET IPSIVS.

Atque cum constet decurionum proprie dici ordinem, non raro hic coniungitur cum ordine Augustalium, ut dicatur *ordo decurionum et Augustalium* hisque opponatur plebs. Exemplum iam supra attulimus apud Grut. p. 475, 3 (Orell. n. 4047), sed item est in hac Praenestina inscriptione apud Don. p. 192, 120 (Mur. p. 618, 3; Orell. n. 1167 et 4009):

Q. VERRIO. Q. F. PAL.
FLACCO.
SEVIRO. AVGVSTALI.
CVRATORI. MVNERIS.
PVBLICI.
DECRETO. STATVAM. ET. FAS.
ORDO. DECVRIONVM. ET. AVGVSTALIVM.
ET PLEPS. VNIVERSA. S. P. P. P. D. D. [1]

1) Fogginium in Fast. p. XVIII, qui notum illum grammaticum Verrium Flaccum hoc titulo celebrari putabat, improbavit iam Orell. ad n. 1167. Idem ad n. 4009 intellexit vs. 6 legendum esse *statuam et fastigium*, et notas vs. 8 ita explicandas *sua pecunia publice posuerunt decreto decurionum.* Prius decuriones, Augustales, plebs communiter statuam et fastigium decreverant, tum decuriones separatim de loco, quo illa ponenda esset. Fastigii autem honos, quem ex hominibus primus Iulius Caesar magna cum improbatione bonorum virorum in se transtulerat, vide quam vili tum loco habitus sit, ut municipali homini deferretur.

Videmus medio loco inter decuriones et inter plebem recenseri Augustales. Qui si assimilarentur rationibus urbis et reipublicae Romanae, aequales videri debebant equitibus Romanis, quos cum nullos peculiares in municipiis fuisse constet, [1]) miro tamen modo institutis suis referebant. Similiterque saepe Augustales decurionibus et populo opponuntur, ut in hac inscriptione in Lucania inventa, apud Grut. p. 446, 7 (Lupul. iter. Venus. p. 111; Morcell. de stil. inscript. I n. 99):

P. OTACILIO. L. F. PAL. RVFO. PAT.
IIII VIR. I. D. II. QQ. FLAM. PERPETVO.
DIVI. HADRIANI. AB. EODEM. EQVO. PVBL.
HONORATO. CVRATORI. KALENDARI. R. P.
AECLANENSIVM. ELECTO. A. DIVO. PIO.
PATRONO. MVNICIPI.
OB. EXIMIAM. MVNIFICENTIAM. EIVS. ORDO. DEC.
PECVNIA. PVBLICA. PONENDVM. CENS. CVIVS.
DEDICATIONE. DEC. * III. AVG. * II. POP. * I. DEDIT. [2])

Atque haec ratio, quam in municipio Italico tempore M. Aurelii imperatoris fuisse videmus inter decuriones et Augustales et populum, eadem est in inscriptione Mediolanensi [3]) apud Grut. 68, 3 (Orell. n. 3062, emendatiore apud Osann. Syll. inscr. p. 553, 2), posita anno 159 p. Chr., in qua decuriones, Augustales, coloni discernuntur, ac similis prorsus statui debet in alia Auximati apud Mur. p. 911, 5, si quidem vera est. Sutrii autem *decuriones, Augustales et populus* aere collato statuas posuisse narrantur apud Grut. p. 355, 3 (Orell. n. 3976) et p. 428, 6 (Orell. 3807); Capenae collatio ad statuam ponendam facta esse apud Donat. p. 170, 2 (Orell. n. 3690 et n. 4086) ab *ordine et Augustalibus et vicanis*, et Rudiis in Calabria divisio *decurionibus*, *Augustalibus*, *Mercurialibus*, *populo* apud Marin. Act. fratr. Arv. I p. 21 (Orell. n. 134

1) Nam *eques Florentinus* apud Mur. p. 801, 5 est Ligorianus; *eques Alcetiensis* apud Grut. p. 345, 10 (p. 517, 1) manavit ex titulo male descripto, quem emendatiorem exhibet Bertol. in antiq. Aquilei. p. 447; eiusdemque originis esse existimo *equitem Reatinum* apud Grut. p. 1030, 5 et *equitem Arretinum* apud Mur. p. 699, 7. Aliam autem inscriptionem, in qua item ordo equester municipalis commemorari videatur, infra rectius explicabimus.

2) Grut. habet versu extremo * XIII. AVG. * XII. POP. * XI. Sed etiamsi Gud. apud Grut. non haberet, quod nos supra posuimus, tamen sic emendandum esse existimaremus. Nimia enim est summa ternum denum denarium et deinceps, quam singulis decurionibus et Augustalibus et populo P. Otacilius diviserit; siquidem Plin. Epist. X, 107 narrat binos vel singulos denarios tali occasione dari solere. Fuerat autem P. Otalicius *IIII vir iuri dicundo iterum quinquennalis*, tum *curator kalendari reipublicae electus ab Antonino Pio.*

3) Mediolani enim hunc titulum collocat Mur. p. 333, 3, ipsique illi, ex quorum schedis Grut. sumpsit, cum ipse dicat Auximi inventum esse. Et certe hic Leonas libertus est eius, qui celebratur in titulo Auximati apud Grut. p. 446, 4 (Orell. 3306). In ipsa autem inscriptione coniungo *honoratus in tribu Claudia patrum et liberum clientium accensus*; cf. Mommsen. de tribubus Roman. p. 204 sqq. Tum animadverte vocabulum *communiceps*, quod haud scio an hoc solo loco legatur. Denique anno positus est titulus 159 p. Chr., et QVINTILIO. II., non QVINTILIO. ET., quod Grut. habet, in lapide esse auctor est Murat. l. l.

et 3858); Vibone Valentia *decurionibus*, *Augustalibus*, *populo* apud Orell. n. 3703; Nepete apud Grut. p. 395, 1 (Orell. n. 3991); Crotone apud Mur. p. 1106, 6 (Fabrett. p. 485, 161); *decurionibus*, *Augustalibus*, *plebi* Peteliae in Lucania apud Orell. n. 3939; Ocriculis apud Grut. p. 422, 9. Singulare est, quod Lanuvii sportulae divisae esse dicuntur *decurionibus et Augustalibus et curiis* apud Fabrett. p. 659, 497 (Orell. n. 3740) et quod Celleni prope Viterbium *decuriones*, *Augustalicii*, *plebs intra murum habitans* discernuntur apud Mur. p. 2026, 6 (Fabrett. p. 486, 163), nisi forte ibi pro AVGVSTALICIS legendum est AVGVSTALIBVS.

Relinquitur locus difficillimus prope totius huius disputationis, quo quaerendum est, qui honores collegii Augustalium fuerint. Nam ut omne collegium certos quosdam quasi magistratus habebat, qui praeessent aut alia munera administrarent, item in Augustalibus honorum aliquos gradus fuisse probabile est. Ac primum quidem in quovis collegio esse oportebat *magistrum*, et saepius sane commemorantur *magistri Augustales*, quorum primam mentionem invenio apud Grut. p. 149, 5 in inscriptione, quae in civitate Castellana inventa est:

HONORIS.
IMP. CAESARIS. DIVI. F.
AVGVSTI. PONT. MAXIM.
PATR. PATRIAE. ET. MVNICIP.
MAGISTRI. AVGVSTALES.
C. EGNATIVS. M. L. GLYCO.
C. EGNATIVS. C. L. MVSICVS.
C. IVLIVS. CAESAR. L. ISOCHRYSVS.
Q. FLORINIVS. Q. L. PRINCEPS.
VIAM. AVGVSTAM. AB. VIA.
ANNIAM. EXTRA. PORTAM. AD.
CERERIS SILICE STERNENDAM.
CVRARVNT. PECVNIA. SVA.
PRO. LVDIS.

Quattuor videmus nominari magistros Augustales, omnes libertini generis. Quibus cum pro iure honoris, quem acceperant, proprie ludi edendi essent, loco ludorum viam municipii pecunia sua silice straverant, eoque finito opere hunc titulum in honorem imperatoris Augusti posuerunt. Afferam deinde duas alias inscriptiones, quarum priorem habet Orell. n. 3018 ex Romanell. topograph. regni Neapol. III p. 315, Hadriae inventam, alteram Florentinam Gorius inscr. Etrusc. I p. 290, 12 (minus recte Fabrett. p. 408, 327):

1.

VENERIVS.
COL. L. FELIX.
MAG. AVG. SIBI.
ET. PLAETORIAE. APRVLLAE.
CONIVGI ET. SVIS.
V. F.
IN. F. P. XXX.
IN. AGR. P. LXXXV.

2.

C. POBLICIO. C. L.
MATHETI.
SEXVIR. MAG. AVG.
DECIMIA. M. L. PNEVMA
VXOR.

Priorem posuit coloniae Hadriae libertus, [1]) alteram similis condicionis homo, qui idem tamen fuerat sexvir. Itemque magistri Augustales iidemque seviri sunt in alio lapide Florentino apud Gor. inscr. Etrusc. I p. 214, et in Parentino apud Mur. p. 197, 6 (Orell. n. 3956):

1.

ATILIA. SEVERA.
SIBI. ET.
L. SATTIO. CRETICO.
VIRO. SVO.
SEX. VIR.
MAG. AVG.

2.

CN. FLAVIO.
SECVNDO. VI. VIRO.
CN. FLAVIVS. EROS.
VI. VIR. MAGISTER.
AVGVSTALIS. FECIT.

Rursus homines sunt libertini generis itemque sunt reliqui magistri Augustales, qui in inscriptionibus inveniuntur, quorum primus est apud Mur. p. 1992, 1 (minus recte Grut. p. 452, 3):

A. PLAVTIVS. THEODORI. L. APELLA.
MAGISTER. AVGVSTALIS.
PLAVTIAE. A. L. RVFAE. CONLIBERT. CONCVBIN. PIAE.
PLAVTIAE. A. ET. Ɔ. L. FAVSTAE. LIBERT.

alter Romanus apud Grut. p. 418, 11, [2]) tertius apud Mur. p. 709, 7:

1.

SEX. HERI. SEX. F. COL.
MVSOLI. PHILOSOPHI.
STOICI.
VIXIT. ANN. XXII.
DIES XIII.
SEX. HERIVS. SEX.
LIB. AVCTIVS.
MAGISTER.
AVGVSTALIS.
CINIRARIVM.
COND.

2.

C. IVLIVS. IRENAEVS.
MAG. AVG.
D. D.

Reliqui qui commemorantur magistri Augustales, incerti sunt; nam *L. Stattius* vel *Sattius L. l. Phileros*, *magister Mercurialis et Augustalis* Nolae apud Grut. p. 317, 5 (Mur. p. 190, 4; Orell. n. 2420), non magister Augustalis, sed Augustalis modo dicitur; nec in titulo Napocensi apud Reines. Cl. I n. 168 (Seivert. inscr. Dac. n. 155) *M. Ulpius Caecilius Bassianus* appellari videtur magister Augustalis, sed tantum simpliciter *Augustalis*. Qui alii inveniuntur, omnes fictis inscriptionibus efficiuntur. [3])

1) Non probo Orellium, qui ἱερόδουλον Veneris fuisse dicit; sed colonia ipsa Hadria Veneri quasi dicata appellabatur Veneria, itemque eius liberti.

2) Est etiam alius *Sex. Herius Sex. l. Musa magister Augustalis* apud Grut. p. 418, 12 in titulo Brixiano, quo uti nolo, quia multis Brixianis parum fidei habendum esse cognovi. Nec si verus est, ex eo quicquam novi colligi potest.

3) In eo numero habendi sunt *Fuscus*, *mag. Augustalis*, *flamen Sallentinus prov. P.* apud Mur. p. 166, 7 (ibid. p. 1078, 1 et 2022, 7), quem iam ut ementitum notavit Orell. n. 2419; tum *L. Pedius*

Quid secundum haec de magistris Augustalibus statuemus? Certe hoc, ut existimo, non pertinere eos ad hos, de quibus dicimus, Augustales. Nam primum iam vivo Augusto, deinde Romae fuisse dicuntur, quorum neutrum in hos Augustales cadere supra demonstravimus. Non urgeo, quod in prima earum, quas attulimus inscriptionum quattuor enumerantur, quot magistros Larum Augustorum fuisse supra dictum est; poterant enim vel duorum annorum magistri comprehendi vel unius separari, id quod saepius factum esse docebimus. Sed hoc aliquis non iniuria possit niti, in iis, quos variis locis novimus, magistris Augustalibus nullum esse ingenuum, ut hoc genus hominum, si non exclusum ex magisterio, at longe rarius in eo versatum esse videatur, quam in his, de quibus disputamus, Augustalibus. Si autem magistri Augustales non pertinent ad collegium sodalium, quo tandem referendi sunt? Ad eos, opinor, magistros Larum Augustorum, quos supra diximus Romae ab Augusto institutos cetera etiam municipia et colonias imitata esse. Ii etiam magistri Larum Augustales vel breviter magistri Augustales appellabantur. Testis est inscriptio haec Tarraconensis apud Grut. p. 462, 5:

M. RAECIO.
MONTANO.
SEVIRO. MAG.
LAR. AVGVSTAL.
C. RAECIVS.
IVLIANVS.
PATRI. PIEN
TISSIMO.

Accedit lapis Grumentinus, quem refert Romanell. in topograph. regn. Neapol. I p. 397 (Orell. n. 2467):

SYLVANO. DEO. SACR.
Q. VIBIEDIVS. PHILARGIRVS.
MINIST. LAR. AVG. ET. AVG.
MERC. TECTVM. MENSAM.
LAPID. ARAM. VOTO. SVSC.
E. M. D. P. S. E.

Non disputabimus hoc loco de Mercurialibus,[1] sed hoc apparet hominem separatim dici *ministrum Larum Augustorum* et *Augustalem.* Quodsi minister Larum diversus est ab Augustale, certe item est magister nec qui in collegio aliquo magister erit, tamquam diversum aliquid commemorabit, se esse eius socium. Cf. alium similem titulum apud Grut. p. 410, 6 (Orell. n. 2424).

At enim hoc loco dissensio mihi oritur cum Bartholomaeo Borghesio, viro longe omnium

---

L. f. Verecundus, impudentissime et imperitissime a Ligorio ementitus apud Grut. p. 448, 8, tum *M. Numerius M. f. Nemesianus* apud Mur. p. 1117, 5 (Fabrett. p. 90, 175; Orell. n. 2246), tum *mag. sevir Augustalis* apud Gud. p. 16, 1 et si qui alii simili fraude orti sunt. Atque etiam sex illi magistri Augustales, qui enumerantur apud Grut. p. 249, 5, ea auctoritate nituntur, quae parum fidei habere videatur.

1) Extremae autem tituli notae recte apud Orell. explicantur: *e monitu de* (vel *dei*) *pecunia sua erexit.*

in hoc genere litterarum peritissimo, quem et populares sui tamquam oraculum aliquod consulere solent et nos merito veneramur. Is in diar. institut. archaeolog. Rom. anni 1842 p. 102 sqq. disputat ita, ut demonstrare velit, [1]) seviros Augustales eosdem fuisse ac magistros Augustales atque omnino de Augustalibus sic censet, in maioribus urbibus novum hunc cultum proprio alicui collegio esse mandatum, sed plerumque eum commissum esse veteri alicui collegio artificum aut libertinorum, quod iam antea fuisset. Nos cum intelligamus incredibiliter delectatos esse veteres collegiis, nec existimamus voluisse homines plura collegia in unum coniungere, nec, si coniunxissent, videmus, quid profuturum fuerit. Cum enim sua et propria essent munera et impensae Augustalitatis, quid levabatur ex iis, si coirent cum alio corpore artificum? Atque in minoribus etiam oppidis, ut in ipso oppidulo Caeritum, peculiare fuisse corpus Augustalium peculiaremque scholam supra p. 44 ex inscriptionibus demonstratum est. Utitur autem Borghesius imprimis titulis Naronensibus his:

1.

MERCVRIO. AVG. SACR.
M. VLPIVS. AVG. LIB. NEDYMVS.
C. POLLIVS. ALBANVS.
T. VETVLENVS. T. L. ABASCANTVS.
Q. CORNELIVS. AVGVSTALIS.
L. VOLCEIVS. CERDO.
IIIIII VIRI. M. M. OB. HON.

2.

GENIO. PLEBIS. SAC.
L. SEPTIMVLENVS. VITALIS.
Q. LVSIVS. ACRABANVS.
Q. IVLIVS. DAPHNVS.
M. CVRTIVS. SPORVS. IIIIII VIRI.
OB. H. M. M.

3.

P. MESCENIVS.
TROPHIMVS.
T. FLAVIVS. ASIATICVS.
T. FLAVIVS. SVRVS.
L. BOVIANVS. PAREVS.
IIIIII VIRI.
OB. H. M. M.

4.

AVG. SACR.
C. IVLIVS. MACRINI. LIB.
MARTIALIS. IIIIII VIR. M. M. OB.
HONOR. IDEM. LVDOS. SCAENICOS.
PER. TRID. D. ET. CANTAR. ARG. P. S. [2])

5.

MERCVRIO. AVGVSTO. S.
L. VOLTIVS. L. L. VR.......
OB. H.

6.

DIVO. AVG. SACR.
Q. SEXTILIVS. CORINTHVS. C. SEXTILIVS. SYNECDEMVS.
L. VIBIVS. AMARANTHVS. L. AQVILLIVS. APTVS.
L. TITIVS. IDIVS. CHRYSEROS. C. VALERIVS. HERMA.
IIIIII VIRI. M. M. OB. H.

In his reliqua quidem, si non aperta, at solita in inscriptionibus; unae notae M. M. quid signi-

---

1) Una tamen in re facile concedo viro clarissimo; dicit enim Tibure cum vetere collegio Herculaneorum postea coniunctos esse Augustales et dicit rectissime. Sed hoc, quod in una urbe peculiaribus de causis factum esse censeo, dum transfert ad alias, minus recte iudicasse videtur. Nos quidem in hac tota disputatione nullam Tiburtium Augustalium mentionem nec fecimus nec faciemus, de quibus alias separatim dicere cogitamus.

2) i. e. *idem ludos scenicos per triduum dedit et cantarum argenteum pecunia sua.* Primam autem harum inscriptionum edidit Orell. n. 3911, alteram id. n. 1695.

ficent, incertum est. Iis eruditissima disputatione Borghesius docet significari *magistrum Mercurialium* et *magisterium Mercurialium*, demonstratque saepissime fieri, ut pro honore accepto donum aliquod diis offeratur, cuius ipsius rei nos infra alia exempla in seviratu afferemus. At vero hoc cum constet, non efficitur ex his titulis, ut idem sit seviratus ac magisterium Mercurialium. Nam in primo et quarto et sexto quod est *Sevir magister Mercurialis*, potest dividi, ut et seviri et magistri fuisse dicantur, quorum honorum ob utrum donum deo dederint, incertum est. Atque esse dividendum docet inscriptio altera et tertia, in quibus seviri aliquid posuisse dicuntur ob honorem magisterii Mercurialium. Nam quis ita ferat dici, nisi diversum sit magisterium ab seviratu? Alterum opinionis suae documentum Borghesius ex numero magistrorum Mercurialium repetit, quos sex fuisse colligit ex inscriptione sexta, minus, ut nos quidem censemus, recte. Quis enim ex eo titulo, quem infra afferemus, in quo tredecim seviri Augustales enumerantur, colligat aliquando tredecim esse creatos seviros? Atque hos ipsos Naronenses titulos modo unus magister Mercurialis, modo duo, modo quattuor, modo quinque posuerant, ut certe omnes unius anni magistri coniuncti fuerint. Quaternos autem vere magistros Mercurialium fuisse Naronae, satis certe ex inscriptione Naronensi apud Donat. p. 256, 8, quam ipse Borghesius affert, colligitur:

L. LVSIVS. CORPIO.
L. LVSIVS. QVINTO.
L. LIB. IIII VIR.
M. M. OB. H.

Nam cum libertini homines IIII viri fuisse narrentur, municipalismagistrat us dici nequit.[1]) Tum Borghesius l. l. p. 107 censet maxime in iis oppidis, ubi varia artificum collegia in unum corpus coniuncta essent, huic corpori adiunctam esse Augustalitatem, ut in colonia Arelate commemorarentur FABRI. TIGNarii CORP. AREL. (apud Mur. p. 960, 4), VTRICLarii CORP. AREL. (ibid. p. 531, 5), NAVICVLarii MARINI ARELatensis CORPoris (apud Orell. n. 3655). In quo minus credo, sicubi opifices corporati vel corporis alicuius oppidi commemorentur, hoc significari, omnes opifices eius oppidi in unum corpus fuisse coniunctos; nam, ut unum exemplum afferam, Lugduni commemorari video *corpora licite coeuntia* apud Spon. antiq. Lugdun. p. 68 (Grut. p. 399, 4; Orell. n. 194) et apud Millin. in itin. Gallic. I p. 429 (Grut. p. 423, 1; Orell. n. 4020). Atque in ipsa colonia Arelatensi cum reliqua collegia inter se separata fuisse intelligo ex inscriptione apud Grut. p. 547, 8 (Orell. n. 4120) *L. Iulio Secundo, utriculario corporis coloniae Iuliae Paternae Arelatensis, qui legarit eis testamento suo * CC., ut ex usuris eorum omnibus*

1) Atque etiam in aliis oppidis Mercuriales diversos fuisse ab Augustalibus docent inscriptiones, ut Rudiis ea, qua supra iam usi sumus, in qua divisio narratur facta esse *decurionibus*, *Augustalibus*, *Mercurialibus*, *populo*, unde inferiorem quodammodo Mercurialium ordinem fuisse perspicimus. Itemque apud Mur. p. 190, 6 (Grut. p. 317, 4; Orell. n. 2381) aliquis appellatur *Mercurialis et Augustalis*, ut similiter intelligendas esse existimemus eas inscriptiones, in quibus particula *et* omissa est.

annis sacrificto ei parentetur, *item nautarum Druentiorum corpori* cet., tum Augustales ab his ipsis corporibus diversa fuisse disco ex eo titulo, quem Millin. in itin. Gall. III p. 494 (Grut. p. 448, 5; Mur. p. 1110, 1; Donat. p. 470, 11) habet, in quo *C. Pasquius Pardala* dicitur *Sevir Augustalis coloniae Iuliae Paternae Arelatensis*, *patronus eiusdem corporis*, *item patronus fabrum navalium*, *utriculariorum et centonariorum.* Itaque aliter explicanda erit inscriptio Barcinonensis apud Grut. p. 81, 4:

MINERVAE.
AVG.
M. AVFVSTIVS. [1])
HOMVNCIO.
IIIIII VIR. AVG.
COLLEG. FABR.
DONO. POSVIT.

In qua si recta erit Borghesii explicatio *Sevir Augustalis collegii fabrorum*, statuendum erit, Augustales partem fuisse collegii fabrorum, quod ne ipse quidem satis probare potest, sacerdotum genus fabrorum nomine comprehendi. At equidem interpretor, M. Aufustium Homuncionem illud, quodcunque Minervae Augustae dedicavit, dono posuisse *collegio* fabrorum, atque ita COLLEGIO habere dicitur Pighius. Similiter quod apud Grut. p. 169, 6 (Mur. 520, 6; Orell. n. 4088) est SCHOLA. AVG. COLLEGI. FABROR., non interpretor de schola Augustalium fabrorum collegii, sed de *schola Augusta* collegii, ut hoc ei cognomen fuerit.

Quae cum ita sint, nec hanc, quam ipse appellat Borghesius, coniecturam de Augustalitate aliis collegiis demandata probo nec magistros Augustales ad hoc, de quo haec quaestio instituta est, Augustalium sodalicium refero, nec omnino ullos horum magistros fuisse utique censeo: eos, qui *sexviri magistri Augustales*, qui *sexviri magistri Mercuriales* appellantur, duos, non unum honorem gessisse statuo. Quid autem? Nullam omnino ne speciem quidem sine nomine magistrorum, nullos, qui praeessent et principes haberentur, in hoc collegio fuisse statuemus? Nequaquam ita. Praeerant Augustalibus *seviri*, quorum mentio est in inscriptionibus longe quam existimatur frequentior.

Ii primum quaeritur, ad quem honorem reipublicae Romanae a municipiis expressi sint. Nam cum omnem municipiorum rempublicam secundum normam Romanae institutam esse arbitremur, tum Augustales ipsos sodalibus Augustalibus, quos senatus Romanus crearat, assimilitos esse supra exposuimus; neque aliter de praefectis Augustalium iudicandum erit. Iam autem per totam rempublicam Romanam nulli sunt seviri praeter eos, qui appellantur *Seviri equitum Romanorum*, de quibus quae nota sunt, explicata sunt a Carolo Timotheo patruo meo in commentatione academica de equitibus Romanis et ordine equestri p. 39. Sunt autem

1) Nomen hominis incertum est atque aliter scribitur in manuscripto Pighii.

nota haec: primum equites Romanos divisos fuisse in turmas sex; nam quamquam quinque modo turmae commemorantur, dubium tamen non est, quin omnes sex fuerint. Deinde cooptatos esse seviros ab ipsis equitibus, quamqum imperator, ut omnes honores deferre ei licuit, item hunc saepius vel deferebat vel detulisse narratur. Tum de muneribus hoc scimus, eos in sollemni transvectione equitum praefuisse singulos singulis turmis ducendis,[1]) et cum adissent honorem, ludos sevirales edidisse. Hic igitur Romanus seviratus cum talis fuerit, quid, quaerat aliquis, haec ad hunc, de quo quaerimus, municipalem seviratum pertinent?[2]) Similitudo posita est in eo, quod utriusque generis seviri praesunt ei ordini, qui in medio interiectus est inter senatores et inter plebem. Etenim, ubi de origine ipsorum Augustalium supra disputavimus, demonstratum est necessario accidisse, ut homines locupletiores de plebe, i. e. qui non essent decuriones, in municipiis Augustalitate ornarentur. Quodsi ita erat, facile ordo oriebatur, qui cum in aliis rebus,[3]) tum in eorum, qui praeessent, numero equites Romanos imitaretur. Itaque iam antequam Augustales instituti sunt, ex nobili ara Narbonensi, quae supra allata est, discimus a plebe Narbonensi, quae ad sacra Augusto facienda principes ex se eligere vellet, sex potissimum sacerdotes factos esse. Quare vel eodem tempore, quo ipsi Augustales, instituti sunt seviri, eorum praesides, vel paulo post, cum, quo loco futuri essent Augustales, intelligeretur, additi. Hoc constat, ipso Tiberio imperante, quo Augustales inventi sunt, fuisse etiam seviros Augustales. Non utor equidem inscriptione Assisii in Umbria inventa, quae est apud Grut. p. 167, 8, in qua Borghesius vetustissimam sevirum Augustalium memoriam inveniri putat:

POST. MIMESIVS. C. F. T. MIMESIVS. SERT. F. NER. CAPIDAS. C. F. RVF.
NER. BARBIVS C. F. C. CAPIDAS. T. F. C. N. V. VOLSIENVS. T. F. MARONES.
MVRVM. AB. FORNICE. AD. CIRCVM. ET. FORNICEM. CISTERNAMQ. D. S. S. FACIVNDVM. COIRAVERE.

Quem titulum concedo equidem positum esse sub Tiberio, si verum est, Post. Mimesium, qui apud Grut. p. 188, 1 dicitur *legatus Ti. Caesaris Augusti*, eundem esse atque hunc, sed si

---

1) Vide nostram disputationem de honorum gradibus sub imperatoribus Hadriano et Antonino Pio in museo Rhenano ann. 1842 p. 276.

2) Atque ita quaerit Borghes. l. l. p. 106, qui negat similitudinem esse inter equites Romanos et inter Augustales, cum illi propter rem militarem, hi propter sacra instituti essent, illi ex principibus civitatis, hi ex libertinis et opificibus legerentur. Neque ego dissimulo tantum fuisse discrimen, quantum inter institutum imperii Romani et inter institutum municipiorum interesse oportebat, quamquam equitum Romanorum magis ordinem quam militiam fuisse intelligo, sed similitudinem hanc maximam esse video, quod utrique medium quendam ordinem constituebant inter eos, qui honoribus fungerentur, et inter plebem.

3) Nam etiam alia similia erant. Ut Romae equitibus Romanis in theatro quattuordecim illae sedes propriae erant: in municipiis Augustalium peculiaria fuisse loca demonstrat celebris inscriptio Veientana, qua supra usi sumus, in qua libertino homini bene de municipio merito permittitur, ut *omnibus spectaculis bisellio proprio inter Augustales consideret.*

ita est, credere nequeo, qui postea ad amplissimos honores ascendit, eum antea in municipio gessisse seviratum. Nec video homines illos sex nominari seviros, quare potius extraordinarios curatores muro faciundo a decurionibus creatos significari censeo. Verum sub eodem Tiberio posita est haec inscriptio Interamnas apud Grut. p. 113, 2 (Orell. n. 689):

SALVTI. PERPETVAE. AVGVSTAE.
LIBERTATIQVE. PVBLICAE.
POPVLI. ROMANI.

GENIO. MVNICIPI. ANNO. POST.
INTERAMNAM. CONDITAM.
DCCIIII. AD. CN. DOMITIVM. COS.
AHENOBARBVM . . . .
. . . .

PROVIDENTIAE. TI. CAESARIS. AVGVSTI. NATI. AD. AETERNITATEM.
ROMANI. NOMINIS. SVBLATO. HOSTE. PERNICIOSISSIMO. P. R.
FAVSTVS. TITIVS. LIBERALIS. VI VIR. AVG. ITER.
P. S. F. C.

Positus est titulus anno 32 p. Chr., cum anno proximo antecedenti Seianus, qui h. l. *hostis perniciosissimus populi Romani* appellatur, oppressus esset, quo Cn. Domitius et M. Furius Camillus Scribonianus consules erant; sed huius nomen, quia anno 42 p. Chr. propter seditionem hostis iudicatus est, consulto vs. 4 et 5 erasum est.[1] Atque ad eundem Tiberium pertinet fragmentum tituli, quod nunc in museo Vaticano est, apud Marin. act. fratr. Arval. p. 45:

SACRVM . . . .
L. DECIMIVS. L. L. GAMVS. V . . . .
PRO. IMPENSA. LVDORVM . . . .
S. P. PONENDVM. CVRAVI . . . .
TI. CAESARIS. AVGV . . . .
VIRIS. ET. SEVIRALIBVS. ET. P . . . .
DED . . . .
PAVLLO. FABIO. PERS . . . .
VI . . . .
L. MVMMIO. L. F. RVI . . . .

In quo cum cetera obscuriora sint,[2] certus est Paullus Fabius Persicus consul, qui fuit anno 34 p. Chr. cum L. Vitellio, cuius nomen in vs. 9 perisse existimo.

Quantopere post haec cum Augustalibus ipsis seviri propagati sint, non opus est exemplis demonstrari, quibus refertae sunt inscriptiones. Quarum unam hic afferam, ut intelligatur, etiam parva oppida Augustalibus instituendis imperatores venerata esse. Eo loco, quo Cures veteres fuerunt, reperta est haec tabula marmorea elegantissima, quae est apud Grut. p. 149, 6 (minus emendata apud Mur. p. 482, 6 et Orell. n. 107):

1) Notabilis praeterea consuetudo Interamnatium annorum ab urbe condita numerandorum, de qua cf. Orell. ad n. 689.

2) Ignotum enim est, ad quod oppidum hoc fragmentum pertineat; sed expleo vs. 2 *VI vir Augustalis*, vs. 4 *curavit pro salute*; vs. 5 *Augusti*, *cuius ded(icatione) seviris*, vs. 6 *et populo*, vs. 7 *dedit Hs* . . . . . ., vs. 8 *Paullo Fabio Persico L. Vitellio cos.* vs. 10 *L. Mummio L. f. Rufino curam agente* vel . . . . . *II viris*.

L. PVBLILIVS. ANTHVS.
VI VIR. AVGVSTALIS.
CVRIBVS. SABINIS.
TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT.
ARBITRATV. GEMELLI. [LIB.
NERONIS. CLAVDI. CAESA[RIS.
AVG. GERMANICI.
PRIMIGENIANI. TABVL[ARI.
HEREDITATIVM.
ADIECTIS. DE SVO. HS. CCIↃↃI . . . . [1])

Iam Curenses si seviros Augustales habuerunt, quae civitas Italiae non habuit?

A quo creati sint VI viri, nusquam commemorari video. Ratio ipsa seviratus, quam supra exposui, et similitudo sevirum, qui turmis equitum Romanorum praeerant, postulat, ut creari consueverint ab Augustalibus. Atque hunc morem fuisse statuo. Etenim supra p. 22, ubi de electione Augustalium dicebamus, titulum Aquileiensem attulimus, in quo L. Valerius Nymphodotus et C. Statius appellantur *VI viri et decreto decurionum Augustales*, nec ita dixissent homines, nisi ab aliis fierent VI viri, ab aliis Augustales. Atque alterum titulum Barcinonensem infra afferemus, in quo ii, quibus *honor seviratus contigit*, ita commemorantur, ut a decurionibus contigisse non videatur. Quamquam plurimos homines doctos intelligo esse in ea sententia, ut VI viros a decurionibus fieri existiment, ut Hagenbuchius apud Orell. collect. inscr. II p. 369 adnotat in Transpadana Gallia seviros Augustales dici C. D. D. i. e. *creatos decreto decurionum*, ut apud Grut. p. 43, 8. Sed hoc quid sit, paulo post explicabimus. Nunc hoc moneo, magnam cautionem adhibendam esse, ne, ubicunque VI virum mentioni *ex SC.* vel *decurionum decreto* additum inveniatur, id eo pertinere arbitremur, quod a decurionibus creati sint. Ut Assisii repertus est insignis hic lapis, apud Grut. p. 167, 9:

CN. FVFICIVS. CN. F.
LAEVINVS. T. ALLIVS.
C. F. IIII VIR. I. D.
C. ALLIVS. C. F. C. SCAEFIVS. C. F.
VMBO. C. VOLCASIVS. C. F. PERTICA.
Q. ATTIVS. Q. F. CAPITO. C. VOLCASIVS.
C. F. SCAEVA. VI VIR. EX. SC.
MVRVM. REFICIVNDVM.
CVRARVNT. PROBARVNTQVE.

In his qui VI viri appellantur, concedam Borghesio l. s. l., quamquam aegre concedo, esse hos, de quibus agimus, verum, si quis ex eo, quod appositum est, *ex S. C.*, colligere velit,

---

1) Mur. parum recte expletam edidit hanc inscriptionem versibusque male descriptis, longe rectissime exhibet Smet. Inscr. I, 1. *Gemellus Primigenianus* fuit *libertus Neronis Claudii Caesaris Augusti Germanici et tabularius XX hereditatium.* Cf. Grut. p. 1091, 3 (1100, 7.) Is cum testamento iussisset fieri hoc, quodcunque hoc titulo ornatum est, L. Publilius Anthus ipse de suo adiecit pecuniam, cuius summa in extremo vs. 10 periit.

factos eos esse a decurionibus, minus recte iudicare videatur. Cur enim hoc omnino commemoretur? Immo septem illi homines, duo IIII viri iuri dicundo, quinque, qui VI viri fuerant, ex S. C. praefecti erant muro reficiendo probandoque.

Sed cum ita liceret Augustalibus ipsis creare seviros, qui sibi praeessent, certi tamen fines praescripti erant. Primum numerus sevirum ipso eorum nomine definitus erat, quem si egredi vellent, opus erat decreto decurionum. Quare eos qui supra numerum allecti sunt, videntur facti esse decreto decurionum, ut in titulo Trebulae Mutuescae invento, maxime memorabili, qui est apud Grut. p. 449, 1 (Fabrett. p. 401, 297; Orell. 3963), cf. Grut. p. 451, 4 (Fabrett. p. 369, 132):

T. PETIDIO. T. F.
FAB. CESSINO.
VIII VIRO. AEDILICIAE.
POTESTATIS. VIII VIR. II.
FANOR. VIII VIR. III AERARI.
ADLECTO. SVPRA. NVMER.
SEVIRVM. AVGVSTALIVM.
PLEPS. TREBVLANA.
OB. MERITA. EIVS.
L. D. D. D.

Ac similes sunt VI viri Augustales, qui *allecti* modo dicuntur, unus apud Fabraternos veteres, Maff. Mus. Ver. p. 190, 8, alter apud Mur. p. 667, 3. Tum constitutum erat, ut, qui seviratus honorem adirent, certa munera subirent certamque pecuniam penderent, qua qui solvebantur, solvebantur a decurionibus, fereque dicuntur gratis facti decurionum decreto, in quibus hoc decretum non videtur ad ipsam electionem, sed ad remissionem pecuniae pertinere. Talis fuit Trimalchio apud Petron. c. 57, qui *VI vir gratis factus esse* dicitur, tum Sentinas ille VI vir Augustalis apud Fabrett. 407, 324:

C. ITIO. C. L.
PRISCO.
$\overline{\text{VI}}$ VIR. AVG.
D. D. HON. GR.,

qui ex *decreto decurionum honorem gratuitum* accepit. Similesque sunt hi duo, quorum prior inventus est Brixelli, apud Mur. p. 204, 1, alter Tignii in Piceno, apud Mur. p. 199, 2 (Orell. n. 3920):

SALLVSTIA. M. L. APICVLA.
SIBI. ET. Q. GAVIO. Q. L. PRIMO.
FILIO. $\overline{\text{VI}}$ VIRO. ET. AVGVSTALI.
D. D. GRATVIT.
T. F. I.

IVLIVS. EROS.
VI. VIR. AVG. ƆC.
ƆC. GRATIS. FACTVS.
POSVIT.

Quorum ille cum appelletur *VI vir et Augustalis decreto decurionum gratuitus,* non dubium esse debet, quin hunc quoque recte Hagenbuchius apud Orell. iudicarit dici *Sevirum Augusta-*

lem decreto decurionum gratis factum. Itemque duo tituli, quibus Hagenbuchius apud Orell. T. II. p. 369 demonstrabat, decreto decurionum creatos esse seviros, aliter interpretandi sunt, quorum alter est apud Labus. in libro Italico: intorno varj antichi monumenti scoperti in Brescia dissertazione (Milano 1826) p. 55 (Orell. n. 3942; minus recte apud Grut. p. 43, 8) [1]), alter Mediolanensis est apud Grut. p. 368, 7. Quorum in utroque quod est C. D. D., interpretandum esse censeo *gratuitus decreto decurionum*, ut G. potius quam C. legendum sit. [2]) De perpetuis VI viris Augustalibus, quos nonnulli decreto decurionum factos esse putant, infra dicetur.

Iam igitur, si Augustales faciebant seviros, ex quibus hominibus eos creabant? Non quaero, cuius ordinis aut condicionis homines elegerint (nam de hoc et ex iis, quae de Augustalibus supra disputata sunt, colligi potest et dicendum erit infra, ubi praemia sevirum explicabimus), sed utrum ex suo modo numero elegerint an etiam eos, qui non essent Augustales, seviratu ornarint. Equidem huius rei rationem simillimam esse iudico ac sevirum equitum Romanorum, quos fuisse intelligo primum eos, qui, cum in ordine equestri manerent, summam in eo dignitatem adipisci vellent, deinde eos, qui ab hoc honore cursum senatoriorum magistratuum ordirentur. [3]) In municipiis autem cum ordini equestri similem esse dixerim Augustalium ordinem, ita tamen, ut propter onera cum Augustalitate coniuncta non facile transiretur ab Augustalibus ad decuriones, cum Romae omnes senatorum filii, antequam in senatum ipsi venirent, inter equites Romanos numerarentur, similiter ad seviratum pervenerunt aut, quibus hoc quasi fastigium dignitatis erat, aut qui inde municipales honores auspicarentur. Poterat igitur accidere, ut sevir esset, qui non esset Augustalis, et accidebat imprimis in iis civitatibus, in quibus tanta esset hominum ingenuorum locupletium multitudo, ut non omnes ad decurionatum cogerentur libertinique soli superessent, quibus Augustalitas iniungeretur. Hinc explicandum, quod modo *VI viri* simpliciter, modo *VI viri Augustales*, modo *VI viri et Augustales* appellantur, modo inter se opponi adeo videntur *seviri* et *seviri Augustales.*

At enim omnes, qui de Augustalibus, quid sentirent, prodiderunt, cum seviros et seviros Augustales discernant, illos statuunt esse magistratum municipalem, hos sacerdotes, non modo, qui aliud agentes sententiam suam significarunt, sed etiam qui uberius tractarunt, ut Norisius l. s. l., Odericus in dissertationibus et adnotationibus in aliquot ineditas veteres inscriptio-

1) Pater erat *honoratus ornamentis decurionatus ab ordine splendidissimo municipii Mediolanensis*, filius, quia iam ingenuus erat, vere *decurio.* Quod autem est VS. 8 CVM. CVMAS., sculptoris vitium videtur esse.

2) Est etiam alius *VI vir Augustalis gratuitus* Brixiae, apud Mur. p. 199, 3, sed ex schedis Octavii Rubei, quibus parum credendum esse expertus didici.

3) Nam ad haec duo genera redigi posse video quattuor classes hominum, quibus seviratum obtigisse docet Car. Timoth. patruus in scriptione academica, quam supra laudavi, p. 39.

nes (Romae 1765) diss. 6 p. 108 et secundum eum Morcellius de stilo inscriptionum l. l., nuper denique Orellius, qui in amplissima inscriptionum Latinarum collectione Vol. II p. 197 in peculiare caput praecipua, quae de seviris Augustalibus colligi possent, composuit. Quorum causa mihi videtur esse faciendum, ut seviros demonstrem non esse diversos ab seviris Augustalibus. Primum, cum omnes magistratus municipales constet institutos esse ad imitationem magistratuum Romanorum, origo sevirum non facile alia possit inveniri nisi ea, quam supra explicavimus, ab seviris equitum Romanorum deducta, quae necessario postulat, ut seviri municipales praefuerint Augustalibus iidemque sint ac seviri Augustales, quos praefuisse Augustalibus convenit inter omnes. Deinde sevirum si fuit peculiaris magistratus, munera certe eos oportet habuisse peculiaria. II viri qui sunt in municipiis et coloniis, saepe appellantur *iuri dicundo*, IIII viri modo *iuri dicundo*, modo *aediliciae potestatis*, quaestores modo *aerarii*, modo *alimentorum*, at seviri, quandocunque quid apponitur, dicuntur seviri Augustales. Qua quae potest maior cogitari significatio, eosdem esse seviros ac seviros Augustales? Tum si qua erit civitas devota venerationi Augustorum, quam sciamus habuisse Augustales, si in ea nulli tamen inveniantur seviri Augustales, at plurimi seviri: nonne magnum id erit documentum, seviros esse ipsos hos, qui desiderantur, Augustalium praefectos? Talis autem urbs fuit Aquileia. Eam devotissimam fuisse constat Augustis, Augustalesque reperiuntur nonnulli in eius inscriptionibus, ut vide apud Bertolium n. 114 et n. 634, sevirum ingens numerus, at nullus sevir Augustalis. Quare inviti propemodum viri docti concesserunt, ubicunque VI vir Aquileiensis commemoraretur, dici sevirum Augustalem, dici praefectum Augustalium. Vide Borghes. in diurn. instit. archaelog. ann. 1842 p. 109. Tum seviros Augustales demonstrabimus usos esse fascibus sex, atque totidem eademque ratione usos esse seviros ostendunt monumenta sepulchralia eorum, qui in titulis inscriptis appellantur modo seviri, ut vide Maff. Mus. Ver. p. 117 n. 2 et 3. Multos denique infra afferemus titulos, in quibus aut qui *VI viri Augustales* nominantur, *VI viratum* gessisse dicantur, aut alia haud dubia indicia appareant, eosdem esse VI viros et VI viros Augustales. Quare, cum nec origo recta nec munera ulla sevirum propria excogitari possint, et ibi, ubi esse oportebat seviros Augustales, inveniantur seviri, et denique insignia indiciaque utrorumque sint eadem, quid potest esse dubii, quin iidem fuerint? Atque id eo magis credetur, ubi apta nominum diversitatis, quae videatur certe esse, invenietur explicatio. Nimirum proprium ac verum nomen est *Seviri Augustales*, propterea quod praesunt Augustalibus, sed quia nullus alius invenitur magistratus, sex hominibus constans, satis etiam indicantur, cum *seviri* simpliciter appellantur. Ita, ut exempla unius civitatis afferam, Veronae seviri Augustales sunt *C. Titius C. l. Hedylus* apud Maff. Mus. Ver. p. 79, 1, *P. Tossius Zosimus* ibid. p. 81, 2, *L. Valerius Memor* ibid. p. 84, 2, *Probus* aliquis ibid. p. 86, 4; *L. Cassius Vervici filius Nigrinus* ibid. p. 87, 1; ingenuus homo *L. Calpurnius Pudens* ibid. p. 115, 2;

Q. Octavius Anemus ibid. p. 115, 4; *L. Stlanius* ibid. p. 190, 1. At in eadem civitate sunt seviri qui simpliciter nominantur, *P. Gavius Astectus* apud Maff. p. 84, 4; *Sex. Salanius Sex l. Mandatus Virianus* ibid. p. 115, 3; *C. Viracius Longinus* ibid. 115, 5; *L. Safinius C. f. Rufus* ibid. p. 117, 2; *C. Cornelius C. l. Hanno* ibid. p. 117, 3; *P. Numitorius, P. l. Asclepiades* ibid. p. 135, 1; *Telephus* ibid. p. 170, 3; *L. Licinius Hymnus* ibid. p. 189, 3. Inter hos seviros et illos seviros Augustales quod discrimen esse possit, non video, praesertim cum in utrisque et ingenui homines et libertini sint. Itemque est in alia nobili civitate Italiae superioris, Augusta Taurinorum, cuius titulos si conferas (ut vide Maff. Mus. Ver. p. 217 sqq.), totidem prope invenias seviros ac seviros Augustales, nullo, quod detegi possit, discrimine. Quamquam non negarim, aliquid in hoc genere tribuendum esse consuetudini civitatum, ut Aquileiae nullum inveniri sevirum Augustalem iam supra dixi, in coloniis Galliae Narbonensis, Lugduni, Arelate, Nemausi, Aquis Sextiis cum frequens sit memoria sevirum Augustalium, seviro non memini me occurrisse. Omninoque qui universam memoriam sevirum et sevirum Augustalium aestimet, facile intelligat, illam esse frequentiorem hac, sed ad certum numerum hoc redigere, et in qua civitate seviri soli, in qua seviri Augustales, in qua denique utrique promiscue reperiantur, statuere, est illud quidem operae pretium et fructuosum, sed nec fieri potest in tanta inscriptionum Latinarum confusione ac dissipatione sine ingenti labore nec a nobis, qui universam sevirum Augustalium rationem adumbrare velimus, tentabitur.

In his igitur, qui seviri et seviri Augustales appellantur, discerni non potest, utrum facti sint ex ipso Augustalium numero, an praefecti modo eorum, non ipsi Augustales fuerint. Neque enim assentiar, si quis hoc discrimen statuat, seviros appellari, qui non sint Augustales, seviros Augustales, qui iidem Augustales sint, non magis quam si quis II viros aut IIII viros iuri dicundo ubique in II viros et in eos, qui iuri dicundo praesint, dirimere velit. Sed factum tamen esse, ut seviri crearentur, qui non essent Augustales, demonstrant multae inscriptiones. Maxime memorabilis ex iis est haec Patavina apud Murat. p. 194, 2 (Orell. 3926):

T. ARETIVS T. L.
APIOLVS. IIIIII VIR.
IDEM. AVGVSTALIS.
SIBI. ET.
ARETIAE. MODES
TAE. LIB. SVAE. ET.
T. ARETIO. PROCVLO.
SPVRIO. MODESTAE.
LIB. FIL.
V. F.
H. L. S. H. N. S. [1]

1) i. e. *vivus fecit. Hic locus sepulturae heredem non sequitur*, ut recte iam Murat. explicat.

Nam certe non diceretur T· Apiolus *Sevir idemque Augustalis*, nisi nonnunquam accidisset, ut qui VI vir esset, non esset Augustalis. Itaque in eadem civitate Patavina invenitur *VI vir et Augustalis* apud Grut. p. 475, 6:

S. A. S.
IN. MEMOR . . . .
L. T. FRVEND . . . .
PATRON.
IIIIII VIR. ET. AVG.

In qua inscriptione cum cetera incerta sint, [1]) certus est *VI vir et Augustalis*. Sed in eadem tamen urbe est etiam *VI vir Augustalis* apud Mur. p. 196, 2 (Ursat. mon. Patav. p. 70) et alter apud Mur. p. 203, 4, atque etiam, qui *VI vir* modo appellatur, apud Ursat. mon. Patav. p. 41. In his tribus postremis dubium esse censeo, utrum praesides modo Augustalium, an etiam Augustales fuerint: tollitur dubium, ubi seviri et seviri et Augustales inter se opponuntur. Atque opponuntur in insigni titulo Comensi apud Grut. p. 463, 9:

D. M.
ROMATIAE. L. F.
SEVERIANAE.
FILIAE. OPTIMAE.
QVAE. VIX. AN. XII.
L. ROMATIVS.
TROPHIMVS.
$\overline{\text{VI}}$ VIR. ET. AVG. COM.
VI VIR. MEDIOL. ET.
PVBLICIA. L. F.
ATILIA.
PARENTES.

Hunc hominem libertinum et *VI virum* et *VI virum et Augustalem* fuisse videmus. Nimirum Comi in patria sua utrumque honorem accepit, Mediolani cum perpetuum onus Augustalitatis recipere nollet, annuum tamen VI viratum gessit. Itaque Comi etiam alii *VI viri et Augustales* commemorantur. Affero duos, quorum prior est apud Grut. p. 1092, 6 (Mur. p. 195, 6), alter apud Mur. p. 193, 6 (Orell. n. 4521):

D. M.
C. CASSI. THALLI.
$\overline{\text{VI}}$ VIR. ET. AVG.
COMI.

MEMORIAE.
L. ALFI. SEVERIAN.
$\overline{\text{VI}}$ VIR. ET. AVG.
ARAM.
D. S. P. R.
ALFIVS. HILARIS.

Tertius est apud Mur. p. 526, 5. Quamquam etiam *VI vir Augustalis* est Comi, homo ingenuus, qui postea honores municipales gessit, apud Mur. p. 47, 9, atque etiam *VI vir* apud

1) Nec arbitror satis recte esse descriptam; nomen certe hominis corruptum, et dubito etiam num ipsum initium rectum sit. Quamquam cf. Orell. n. 1834.

Orell. n. 5006, quem praesidem modo Augustalium, non Augustalem fuisse existimo. Itemque Mediolani fuisse *VI viros et Augustales* ex eo exemplo, quod supra allatum est, intelligitur. Addam hos tres, quorum primus est apud Grut. p. 472, 8, alter apud Mur. p. 193, 2, tertius apud eund. p. 198, 6:

D. M.
TERENTIORVM.
GELLIANI. ET.
SATVRNINI.
FILIORVM.
MESSIMORVM. [1])
Q. TERENTIVS.
TROPHIMVS. SEX.
VIR. ET. AVGVSTALIS.
PATER. OPTIMVS. FECIT.
ET. SIBI. ET. BETONIAE.
MESSI. FIL. PRIMILLAE.
VXORI. OPTIM. ET. SVIS.
V. F.

D. M.
. . . . AEMILIVS.
NASONIS. L.
LITVS.
VI VIR. ET. AVGVST.
SIBI. ET. AEMILIAE.
. . . .

V. F.
IALEIA.
CLARA.
SIBI. ET.
VIRO. SVO.
M. NOVELLIO. P. F.
VI VIR. ET. AVG.

Hi homines, ex quibus duo libertini generis erant, inter Augustales cum essent, VI viri facti sunt nec ad municipales honores aspirarunt. Itemque is *VI vir Augustalis*, qui Mediolani commemoratur apud Grut. p. 479, 8 (Orell. n. 2169) quoniam propter genus libertinum honores assequi non poterat, intelligitur fuisse et Augustalis et VI vir. At qui *VI viri* modo dicuntur Mediolani, *C. Novellius L. f. Vatia* apud Grut. p. 1098, 3, et *L. Messius L. f. Geminus* apud Grut. p. 43, 11 (cf. ibid. n. 12 et Mur. p. 61, 6) [2]) et *Ancharius L. f.* apud Mur. p. 193, 7, non fuisse iudico Augustales. Nam omnes video fuisse ingenuos, duorumque ex iis honores municipales adduntur, quos etiam tertio obtigisse probabile est. Praeterea Cremonensis VI vir et Augustalis affertur hic apud Mur. p. 17, 6:

IVNONIBVS.
L. MINICIVS.
SEVERVS.
VI VIR. ET. AVG.
EX. VOTO.

quem item libertini generis fuisse iudico, tum Novariensis apud Grut. p. 479, 4 et ex Subalpinis tertius apud Mur. p. 193, uterque horum libertinus. Itaque in fragmento inscriptionis, quae ad eandem hanc regionem pertinet, apud Murat. p. 329, 3, divisio pecuniae facta esse narratur *decurionibus*, *Seviris et Augustalibus*, *plebei*, propterea quod qui seviri modo fuerant,

1) Vitium inest in hac voce; oportet enim esse MESSIANORVM. Haec enim terminatio, si qui a materno genere nominantur, usitata est.

2) Neque enim probo Orell. n. 4000, qui, cum hic L. Messius dicatur *VI vir curator aerarii Mediolanensis*, coniunctis his duobus honoribus VI virum aerarii effecit.

non iidem Augustales, in decurionum numero erant. Nec facile extra hanc Italiam superiorem VI viri et Augustales inveniantur. Quodsi quis quaerat, cur in hac potissimum regione Augustales praesides suos extra suum numerum quaerere consueverint, hanc causam fuisse existimo, quod, cum constet Italiam superiorem imperatorum tempore maxime hominum et multitudine et opulentia excelluisse, multi essent, qui aut expleto iam Augustalium numero ad honores publicos accedere cuperent aut iis opibus uterentur, ut et decurionatum et seviratum sustinere possent.

Quae cum ita sint, iam eae inscriptiones, quibus maxime Odericus in libro s. l. p. 107 sibi efficere videtur, ut VI viri diversi fuerint a VI viris Augustalibus, aliter et rectius explicandae sunt. Utitur autem primum fragmento Pisaurensi apud Oliverium in marm. Pisaur. n. 8 (Orell. n. 1802):

VALVAS. SIGNA. DEORVM. AVGV.
Q. BADVSIVS. Q. L. DELPHICVS.
VI VIRI. ET VI VIRI. AVGVSTALES.
DEDICATIONE. EPVLV[M.]

Nam fragmentum hoc esse apparet. Cuius quidem sententia universa haec videtur esse. Valvas et signa deorum Augustorum in schola Augustalium, ut opinor, refecerat ille Q. Badusius, ipse Augustalis, atque in eorum dedicatione et VI viri i. e., qui praesides modo Augustalium, non Augustales iidem vel erant vel fuerant, et *VI viri Augustales epulum* instituerunt. [1]) Tum apud eundem Oliverium n. 48 alterum fragmentum est hoc VI VIR. ET. VI. V[IR. AVG.], ex quo quid potest colligi, nisi hoc, quod modo exposui? Tum Gudius in inscr. p. 4, 11 (Orell. n. 3931) habet hunc titulum, Aequicolis, ut ait, repertum:

IOVI. FVLGERATORI.
M. FLOSCIVS. IIIIII VIR. MVNIC.
AEQVICOL. ET. SEVIR. AVGVSTA
LIS. ET. PATRONVS. HVIVS.
MVNICIPI. S. P. D. D.

Credam veram esse inscriptionem, sed Aequicolis non esse repertam manifestum est ex eo, quod primum municipium Aequicolanum, tum *hoc municipium* dicitur, quod quis faciat, nisi qui significare velit, hominem in duobus municipiis in altero fuisse VI virum, in altero VI virum et Augustalem recteque id dici supra p. 63 exemplo inscriptionis Comensis demonstravimus. Denique affertur inscriptio Ariminensis apud Donat. p. 69, 5 (Orell. n. 3931):

PANTHEVM. SACRVM.
L. VICRIVS. CYPAERVS. SEXVIR.
ET. SEXVIR. AVGVSTALIS.

---

1) Cf. inscriptionem Pisaurensem, quam infra afferemus, ubi de ornamentis decurionalibus VI virum disputabimus.

Primum non integrum esse arbitror marmor, propterea quod dedicationis significatio deest, ut hoc quoque ad Comensis exempli normam redigi possit. Quodsi est integrum, potuit sane fieri, ut homo primum, cum nondum esset Augustalis, VI vir crearetur, tum et Augustalis et iterum VI vir fieret. Illa vero quis non videt esse levia, quod Odericus ex inscriptione Pisaurensi apud Oliver. n. 148, ubi titulus Antonino Pio a collegio centonariorum positus est, quem faciendum curarat *L. Burbuleius Matutinus Sevir*, colligit dici *Sevirum collegii centonariorum.* Credo sane equidem etiam centonarium fuisse L. Burbuleium, sed hoc collegium prorsus diversum ab Augustalibus eorumque VI viris. Simile est, quod apud Grut. p. 445, 1 (Orell. n. 4241) Narbone *VI viri Augustales et navicularii* homini alicui bene de se merito statuam posuisse narrantur, unde Norisius et Odericus colligunt dici de *Seviro Augustalium naviculariorum.* Quasi non liceat a duobus collegiis eidem homini titulum poni. [1]) Itaque etiam in inscriptione, quam habet Marin. act. fratr. Arval. p. 158 (Orell. n. 3361 et 3935):

D. M. S.
Q. VARIO. LVCINO. SEVIRO.
AVG. MART. PAT. COLL. FA
BRVM. TIGN. ANN. FRVM.
POPVLI. Q. VIXIT. AN. LVIIII.
MENS. VIII. DIEB. XV. HORIS. X. FE
CIT. SIBI. ET. LOLLIAE. MATIDIAE.
COIVGI. SVAE. EX. COMMVNE SV.

seiungendus erit Martialis a VI viro Augustali nec efficiendus VI vir Augustalis Martialis, qui nullus fuit. [2]) Cur enim honores, quos quis gessit, non iuxta ponantur sine particula *et?* Cuius quidem rei, in inscriptionibus frequentissimae, ipse hic titulus exemplum insigne est. Eademque ratio adhibenda erit, cum in Patavina civitate *Augustales Concordiales* commemorantur (vide Orell. n. 2384), quos existimabimus duorum collegiorum fuisse sodales.

Demonstratum igitur est a nobis, seviratus cum unus esset, VI virum ipsorum duo quasi fuisse genera, unum eorum, qui post seviratum alia munera vere municipalia assequerentur, alterum eorum, quibus illud esset dignitatis fastigium. Prioris generis tria exempla iam supra allata sunt, quibus hic alia pauca addantur. Sunt hae inscriptiones, prima apud Grut. p. 475, 5 prope Romam reperta, altera Comensis apud Orell. n. 5006; tertia item Comensis apud Mur. p. 47, 9:

---

1) Invenit Odericus etiam *VI virum collegii fabrum* apud Mur. p. 517, 2; sed eum titulum explicari non opus est, quia a Ligorii fraude manavit.

2) Quod si ita est, ut recte MART. explicetur *Martialis*, inscriptio haec, quam Marinius Romae esse dicit, ad Larinum municipium pertinebit, ubi collegium Martialium fuisse constat. Tum animadverte vs. 4 *annonarium frumenti populi*, quem diversum tamen fuisse censeo a *curatore annonae plebis*, qui est apud Grut. p. 386, 4 et p. 435, 8, ut non plane probem Orellii huius tituli interpretationem.

1.

DIIS. MANIBVS.
L. TITI. L. F. PVPINIA.
MACRI. VI VIRO.
DECVRIO.
LAVDE. POMPEIA.
VIXIT. ANNIS
XXX.
TITIA. RHOPE.
MATER. ET.
SALVIVS. VICTOR.
CONLAC. F. [1])

2.

V. F. DIS. MANIB.
C. ATILIVS. MOCELIVS.
VETER. LEG. VIII. AVG.
VI VIR. DECVRIO. SIBI. ET.
C. ATILIO. MAGIO. FRATRI.
VETER. LEG. EIVSDEM.
VI VIR. COMI. ET.
SVRAE. MESSORIS. F. ET.
C. VETVRIO. SERVANDO. ET.
C. VETVRIO. MAXIMO.
NEPOTIBVS. SVIS. ET.
. . . .
. . . .
ITEM. FVTVRIS. LIBERTIS.
IN AGR. P. LX. FR. P. L.

3.

MERCVRIO.
L. RVSTICELLIVS.
OVF. SECVNDVS.
VI VIR.
AVGVSTALIS.
DECVRIO. COMI.
VOTVM. SOLVIT.
L. L. M.

Nullum ex his VI viris, etiamsi tertius appellatur VI vir Augustalis, Augustalitate functum esse puto, sed omnes cursum honorum municipalium a seviratu auspicatos. Aliique eiusdem generis VI viri sunt Mediolani *L. Caelius L. f. Baro*, qui IIII viratum gessit post seviratum, apud Grut. p. 393, 7 (Donat. p. 75, 3), ibidemque *L. Merula* aliquis apud Grut. 476, 2 (Orell. n. 3834), Cremonae is, qui *primus augur et VI vir Augustalis* appellatur apud Maff. Mus. Ver. p. 370, 3; Brixiae *Q. Postumius Q. f. Varrus VI vir Augustalis*, qui postea aedilis fuit, apud Grut. p. 1099, 6. Neque tales VI viri Augustales modo in Italia superiore, cuius rationem peculiarem fuisse videri supra dixi, inveniuntur, sed etiam in Praenestina colonia *Cn. Voesius Cn. f. Aper* apud Grut. p. 489, 12 (Orell. n. 2532) et VI vir Augustalis fuit et summos honores gessit, itemque *P. Acilius P. f. Paullus* apud Mur. p. 181, 7 (Orell. 2391), atque etiam Pisaurense fragmentum apud Oliverium n. 52 est hoc:

. . . . . VELLIVS. CN. F. CAM.
. . . . SEXVIR. DECVRIO.

Alterius generis VI virum plura exempla a nobis supra allata sunt, quibus adiicio hic memorabilem titulum Pisaurensem ex Orell. n. 2675:

L. APVLEIO.
BRASIDE.
HABENTI. IIII. LIB. IVS.
DAT. AB. IMP . . . . . .
. . . . AVG.
VI VIR. AVG. ORNAMENT.
DECVRIONAL. HONOR.
ET. AVG. MVN. AEL. KARN.
COLLEG. FABR.
PATRONO. ET. QVINQ.
OB. EXIMIAM. EIVS. ERGA.
SE. LIBERALITATEM.
CVIVS. DEDICATIONE. CVM.
COLLEGA. SINGVLIS. HS. N. L.
ADIECTO. PANE. ET. VIN. DED.
L. D. D. D.

L. Apuleius, libertini generis, cui haec inscriptio a collegio fabrum Pisaurensium posita est, Augustalis fuit et in patria sua, Pisauri, et in municipio Aelio Karnunto; Pisauri autem cum

1) i. e. *conlactaneus fecit.*

praeterea VI viratum gessiset, delata ei sunt ornamenta decurionalia, quibus dignitatis certe specie ingenuis hominibus aequaretur.

Iam honos cum esset VI viratus eiusque munera fere magisteriis aliorum collegiorum similia, non dubium esse debet, quin, sicuti reliqui honores et magisteria, annuus fuerit, saepiusque facti sint VI viri. Cuius quidem generis exempla cum et supra a nobis passim allata et infra afferenda sint, duo hic commemorabo, unum inscriptionis Salodii repertae apud Grut. p. 473, 2 (Orell. n. 3919), alterum tituli, quem Romanum appellat Fabrett. p. 402, 300 (Orell. n. 3922):

M. TERENTIVS.
PYRAMVS.
$\overline{\text{VI}}$ VIR. AVG.
L. APPIO. APHOBETO.
$\overline{\text{VI}}$ VIR. AVG. II.
GRATVITO. AMICO.
TERENTIAE. PISTAE.
SORORI.
MESSIAE. REPVSAE. VXORI.
P. POSTVMIO. PRIMIONI.
POSTVMIAE. QVARTAE. A. B. M.

M VALERIVS.
SABINVS.
$\overline{\text{VI}}$ VIR. AVG. II. SIBI. ET.
M. VALERIO. EROTI.
PATRI. SVO.
RVSTIAE. PHILONICE.
VXORI. SVAE.
M. VALERIO. PROBO.
$\overline{\text{VI}}$ VIR. AVG.
M. VALERIO. PHOEBO.
$\overline{\text{VI}}$ VIR. AVG. II. [1])
VALERIAE. PYRALLIDI.
T. F. I.

Satis igitur frequens erat, ut bis aliquis fieret VI vir Augustalis, ac fuerint multi etiam saepius, sed dubito, num rectum sit, quod Narbone aliquis dicitur sexies fuisse in inscriptione apud Grut. p. 426, 4:

TIB. IVNI. EVDOXI.
NAVICVLAR. MAR. C. I. P. C. N. M.
TI. IVN. FADIANVS.
IIIIII VIR. AVG. $\overline{\text{VI}}$ C. I. P. C. N. M.
COND. FERRAR. [2])
RIPAE. DEXTRAE.
FRATRI PIISS.

in qua potius IIIIII VIR. AVG. II fuisse arbitror. Nec satis fidem habeo inscriptioni Hispanicae apud Reines. Cl. n. 99 (Orell. 3914), in qua *L. Iunius Puteolanus* dicitur *VI vir Augustalis in municipio Suelitano d*(ecreto) *d*(ecurionum) *primus et perpetuus*, quamquam etiam alius Hispanus *L. Iunius Nothus* apud Grut. p. 426, 7 appellatur *VI vir Aug. perpetuus*. Etenim in his

1) Hoc II postea insertum esse adnotat Fabrett. In priore autem titulo A. B. M. est *amicis bene merentibus*.

2) Fuit *Ti. Iun. Fadianus VI vir Augustalis coloniae Iuliae Paternae Claudiae Narbonis Marcii et conductor ferrarius ripae dextrae* Rhodani. Non credo dici conductorem ferrariarum, quod Reinesio apud Gruterum placet, in quo quid ripa dextra sibi velit, non intelligo; sed genus hoc naviculariorum, alias ignotum, fuisse censeo.

titulis vereor, ne quis error insit vel in lectione vel in integritate lapidis. Neque enim excogitare possum, cur aliquis creetur VI vir in perpetuum, quod non minus contra omnem rationem honorum Romanorum est, quam si quis Romae consul perpetuus, in municipio aliquo II vir vel IIII vir perpetuus fiat. Scio equidem quinquennales appellari perpetuos nosque ipsi infra VI viros quinquennales perpetuos ex certis inscriptionibus afferemus, sed horum natura ac ratio longe diversa est. Quare fateor illis quidem titulis parum mihi de perpetuitate, quae aliquando VI virum Augustalium fuerit, persuaderi. Cum autem honos ipse esset annuus, apparet tamen, VI viros non tamdiu modo appellari, quamdiu in honore sunt; sed, ut omnino moris Romani est, ut honorum tituli sint perpetui, sic VI viri qui fuerunt, appellantur ita perpetuo, quamquam proprie sunt sevirales, sicuti sunt II virales, consulares, praetorii, reliqui, *ordinis*que *seviralium* exemplum infra a nobis afferetur.

Explicata fere sunt a nobis, quae ad externam condicionem VI virum Augustalium pertinent; deinceps faciendum est, ut de muneribus eorum disputemus, quae fuisse coniuncta cum seviratu docet insignis titulus Barcinonensis apud Grut. p. 378, 1, in quo L. Caecilius Optatus, post emerita stipendia ab M. Aurelio Antonino imperatore honesta missione missus, cum Barcinone consedisset atque honores multos gessisset, reipublicae huius coloniae narratur Hs. triginta millia legasse *ea condicione, ut liberti mei, item libertorum meorum libertarumque liberti, quibus seviratus contigerit, ab omnibus muneribus seviratus excusati sint. Quod si quis eorum ad munera vocatus fuisset*, omnem pecuniam ad rempublicam Tarraconensem transferri iubebat. Ex usuris autem semissibus eius, quam legarat, pecuniae quotannis spectaculum pugilum edi voluit a. d. IIII Id. Iun. eodemque die oleum in thermis publicis populo praeberi, ut spectaculo divisioneque perpetua instituenda munera VI virum redimi posse existimaret. Atque in ludis edendis maxime munera VI virum equitum Romanorum videntur constitisse. Vide Capitol. in vita Marc. c. 6. In omnibus autem honoribus municipalibus duo quasi genera munerum discernenda sunt, ea quae in adeundo honore praestanda sunt et ea, quae in ipso munere. Ad pecuniam ob aditum VI viratum datam pertinet titulus Hispaniensis apud Grut. 1073, 6, in quo *signum Pollucis Sex. Quintius Fortunatus ob honorem VI viratus ex decreto ordinis soluta pecunia petenti populo donum de sua pecunia dato epulo civibus et incolis et circensibus factis dedicasse* narratur. Atque imprimis memorabilis est altera inscriptio Assisii in Umbria reperta apud Grut. p. 400, 7, in qua *P. Decimius Eros Merula pro seviratu in rempublicam dedisse* dicitur *Hs. duo millia.* His muneribus qui liberantur, appellantur *gratis facti*, quorum exempla supra p. 59 a nobis allata sunt. Sed multi aut pro pecunia, quae solvenda erat, aut extra eam donum aliud *ob honorem* dabant. Affero titulum Barcinonensem apud Grut. p. 99, 10 (Orell. n. 1814) et Panhormitanum apud Mur. p. 91, 10 (Castell. inscr. Sicil. p. 13 n. 29; Orell. n. 1840):

1.

FIDEI.
PVBLICAE.
C. PVBLICIVS.
MELISSVS.
OB. HONOREM.
IIIIII VIRATVS.
D. D. D. [1])

2.

ARAM. VICTORIAE.
SEX. POMPEIVS. MER
CATOR. VI VIR. AVG.
PRAETER. SVMMVM.
PRO. HONORE.
D. D.
P. S. P.

quorum in hoc parum recte legi video *praeter summum*, cum esse oporteat *praeter summam* i. e. praeter pecuniam, quam pro honore solvit, dedit etiam hanc aram Victoriae. [2]) Alius titulus doni ab Augustale ob honorem seviratus dati est apud Mur. p. 196, 3. Saepe autem fiebat, ut plures VI viri Augustales coniungerentur ad maius opus in usum publicum aedificandum, ut quattuor VI viri Augustales apud Orell. n. 3844 *ob honorem viam cum crepidinibus straverunt;* quinque VI viri murum reficiendum curarunt apud Grut. p. 167, 9; tredecim denique VI viri Augustales Foro Sempronii *viam longam passus mille CLXV ex decreto decurionum sua pecunia silice sternendam curaverunt* apud Grut. p. 150, 4 (Fabrett. p. 406 n. 316; Orell. n. 3950). Eis similis est haec inscriptio in eadem civitate anno 1839 reperta, quae exhibetur a Gallo docto Noel des Vergers in epistola ad Letronnium in annalibus philologiae Parisiensibus (Revue de philologie) anni 1845 p. 524:

AVGVSTALES. $\overline{\text{VI}}$ VIR.
L. GELLIVS. L. L. HIPPOLYTVS.
L. GELLIVS L. L. VERNVS.
L. GELLIVS. L. L. POLVS.
VIAM. LONG. P. CCXLIIX.
EX. D. D. OB. HONOREM.
SEXVIRATVS. SVA.
PECVNIA. SILICE.
STERNENDAM. CVRAR.

In qua cum tres unius anni VI viri se coniunxerint ad unum opus perficiendum, ratio etiam coniunctionis intelligitur, nimirum haec, quod unius patroni liberti erant. Quamquam saepe etiam omnes unius anni VI viros unum opus faciendum curasse documento sunt inscriptiones apud Grut. p. 477, 7 et p. 1013, 3.

Sevirum equitum Romanorum dixi hoc munus commemorari, consuevisse eos ludos sevirales edere, iidemque ludi VI virum Augustalium inveniuntur in inscriptione Auximati apud Grut p. 1103, 9 (Mur. p. 617, 4). [3])

---

1) Grut. unum D habet, sed rectius longe Pighius D. D. D. i. e. *decreto decurionum dedicavit;* vix enim hoc decretum decurionum omitti potest.

2) Video autem apud Castell. SVMMVM tribus extremis litteris in unum contractis ita scribi, ut et *summam* et *summum* legi possit. Hoc quomodo viri docti antea explicarint, vide apud Orell. l. l.

3) Gruterus, qui parum recte edidit, Scaligerum auctorem citat, Muratorius Ligorio et Ponticellio utitur, nec tamen ideo totam inscriptionem fictam esse existimo.

. . . .
LVDOS. FECIT. GLADIATORES. DEDIT . . . . .
COENAM. SEXVIRALEM. PRIMVS. DEDIT . . . . .
LEGAVIT. COLONIS. AVXIMATIBVS. SINGVLIS . . . .
ET. DECVRIONIBVS. SINGVLIS. HS. XX . . . . . .
ET. LEGAVIT. COLONIS. COLONIAE. AVXIMAT . . . .
HS. CCC.

Nam et ludi et gladiatores non dubium esse debet, quin pertineant ad seviratum ab eo, cui hic titulus positus est, gestum novumque additur, quod *coenam seviralem primus* ediderit, ut hanc coenam nec omnibus temporibus nec, opinor, in omnibus civitatibus usitatam fuisse intelligamus. Quamquam etiam *C. Iulius Tertius Sevir populo prandium munere functus dedisse* narratur apud Grut. p. 1010, 3. Praeterea sevirum equitum Romanorum munus erat, ut parmis et hastis ornati in transvectionibus sollemnibus, quae quotannis fiebant, praeessent singuli singulis turmis, ac simile aliquod VI virum Augustalium munus fuisse coniicio, ut aut in epulis publicis Augustalium, de quibus supra p. 43 disputatum est, aut in pompa aliqua cum iis coniuncta praesiderent collegio. Tale enim aliquid commemoratur apud Petron. c. 71. Ibi Trimalchio, qui nullum aliud munus praeter seviratum gesserat, sic praecipit de monumento sibi faciendo: (facias) *me in tribunali sedentem praetextatum, cum anulis aureis quinque, et nummos in publico de sacculo effundentem; scis enim, quod epulum dedi, binos denarios: faciantur, si tibi videtur, et triclinia: facies et totum populum sibi suaviter facientem.* Quo enim tribunal, quo Trimalchio gloriabatur, pertinebit, nisi eo, ut VI viros existimemus festis diebus eo usos esse publice? Praeterea videmus, Trimalchionem et Augustales ipsos et populum festo epulo excepisse, quae est illa coena seviralis, de qua modo dictum est, divisionemque binorum denarium fecisse. Omnino VI viri magistratus quasi quidam vel, ut ita dicam, decuriones Augustalium sunt; relictum fuerit his, ut sancirent decreta, ipsi certe ea nonnunquam faciebant. Colligo id ex inscriptione Ostiensi, quam exhibet O. Iahn. Specim. epigraphic. p. 114, quam repetendam hic esse putavi litteris vulgaribus: *P. Horatio* || *Chryseroti* || *Seviro Augustal(i) idem* || *quinq(uennali) et immuni Larum Aug(ustorum)* || *ex S. C. seviri Augustales statuam* || *ei ponendam decreverunt, quod* || *is arcae eorum Hs. L. M. N. dederit* ||, *ex qua summa Hs. X. M. N. ob honorem curae* || *Sex. Horati Chryserotiani et reliquorum,* || *Hs. XL. M. N. excepta stipulatione ex usuris* || *semissibus ET. M. I. I. S. S. S. quodannis idib(us) Martis* || *natali suo inter praesentes hora II usque* || *ad asse dividatur, deducta ornatione statuae* || *et familiae Augustal(ium) Hs. C. N. Quotsi ita* || *factum non erit, tum ea Hs. XL. M. N. dari rei p(ublicae) Ost(iensi) sub eadem condicione,* || *qua s(upra) s(criptum) est, ob cuius dedicatione(m) dedit decurionibus (denarios) V et Augustalibus (denarios) V* ||, *isque honore sibi habito sumptum sta* || *tuae ordini Augustalium remisit.* Nam *arca eorum*, quae vs. 7 commemoratur, dubitari non potest quin dicatur *arca Augustalium,* non *arca VI virum*

Augustalium, propterea quod in dedicatione eius divisionem instituit *decurionibus et Augustalibus*, sumptumque statuae *ordini Augustalium* remisit, VI virum nulla mentione.[1]) Sed hi tamen, cum omnes Augustales et in dedicatione donarentur et sumptum conferre deberent, soli dicuntur de ponenda statua decrevisse, postquam iis a decurionibus Ostiensibus permissum est hoc facere, ut intelligamus in hoc titulo accuratius dici, quam in plerisque, quoniam fere Augustales ipsi tales honores decrevisse narrantur, ut in titulo Reatino apud Grut. p. 414, 2. Denique VI virum praecipuum aliquod munus in sacris, quae ab Augustalibus statis diebus fiebant, videtur fuisse. Certe huc pertinebunt *VI viri S. F.* i. e. sacris faciendis, qui Mevaniae reperiuntur in duabus inscriptionibus apud Orell. n. 3998 et 3999, siquidem et verae sunt et lectio in iis recta, quod ne post Orellii quidem de ea re disputationem satis mihi persuadere possum. Sed si fuerunt ulli hi VI viri sacris faciundis, rationem eorum fere eandem fuisse ac VI virum Augustalium colligi licet ex fragmento Mevaniae reperto apud Mur. p. 475, 4.

Atque haec quidem colligi possunt de muneribus VI virum, quae dicam publica, quibus addamus nonnulla de officiis eorum quasi privatis. Cum enim collegium quoddam constituere incepissent, qua de re infra dicetur, factum est, ut sicuti reliqua collegia et legata hominum privatorum et cum iis munera quaedam fungenda acciperent. Exempla afferam duo diversarum regionum, prius civitatis Aletrinatis apud Grut. p. 439, 2, alterum coloniae Narbonensis apud eund. p. 424, 12:

1.

Q. MINVCIVS. Q. L. ANTEROS. VI V[IR.
AVGVSTAL.
HIC. SEVIRIS. AVGVSTAL. ALETRIN[AT.
LEGAVIT. HS. CCIↃↃ. QVOIVS. EX. RED[ITV.
QVODANNIS. NATALI. SVO. VI. [ID.
FEB. VESCERENTVR.

2.

Q. IVLIO.
SERVANDO.
IIIIII VIR. AVGVST.
C. I. P. C. N. M.
LICINIA. PALLAS.
MARITO. OPTIMO.

1) Nonnulla in hoc titulo vitiosa, qui cum accurate descriptus esse dicatur, documento esse potest, non satis valere oculos doctrinae et interpretationis subsidio destitutos. Quid enim v. 8 esse possit CVRAE, non intelligo. *Honos curae* nihil est, quia ab honore cura diversa est. Atque significandum est, quae illa cura fuerit, quae Sex Horatio mandata vel mandanda sit. Quare cum mendosum esse intelligam CVRAE, veri erit simillimum emendari SEVIRAT. i e. *ob honorem seviratus*, ut P. Horatius hic Ostiensis idem fecerit quod Barcinonensis ille, cuius titulus supra p. 69 citatus est, qui pecunia semel soluta cavit, ne quid ab libertis suis posterisque eorum seviratus nomine exigeretur. Deinde vs. 11 notae illae ET. M. I. I. S. S. S. dubium esse non debet, quin vitiosae sint; nam nec iuterpretari eas quisquam poterit, nec quicquam excogitari potest, quod praeter usuras semisses dividi voluerit P. Horatius. Existimo igitur fuisse XL. M. Hs. S. S. i. e. *quadraginta millium Hs. supra scriptorum.* Sic enim repeti solet summa pecuniae, ex cuius usuris divisio facienda sit, ut cf. Orell. 1368, nec me movet, quod hoc loco non, ut supra, Hs. XL. M. N. scriptum est. Lex igitur sive *stipulatio*, qua caverat P. Horatius de XL millibus Hs., haec erat, ut *ex usuris semissibus* eorum *quotannis Idibus Martiis natali suo inter praesentes usque ad assem* i. e. universae pecuniae (haec enim significatio est huius notabilis sane dicendi generis) divisio fieret, qua stipulatione neglecta pecuniam ad rempublicam Ostiensem transferri volebat.

INLATIS. ARCAE.
IIIIII VIR. OB. TVITIONEM.
STATVAE. HS. CIↃ.
L. D. D. IIIIII VIR. [1])

Multa talia munera legatis hominum privatorum in memoriam eorum, qui legarant, celebranda VI viris Augustalibus iniuncta esse arbitror, postquam et collegium eorum concessum est et iis pecuniam relinqui licuit.

Insignia eorum scimus fuisse sex fasces ex Petronio c. 30, ubi triclinium Trimalchionis ita describitur: *In postibus triclinii fasces erant cum securibus fixi, quorum imam partem quasi embolum navis aeneum finiebat, in quo erat scriptum* C. POMPEIO. TRIMALCHIONI. VI VIRO. AVGVSTALI. CINNAMVS. DISPENSATOR. [2]) Ibi quamquam ridetur hominis stulta ambitio, quod more consulum vel praetorum fasces ac secures non in vestibulo, ut illi, sed in triclinii aditu habebat, apparet tamen, sex fascibus usos esse VI viros. Similiter alius libertinus Habinnas apud eund. Petron. c. 65 triclinium intrat cum lictore, quia VI vir. est. Confirmant id imagines sepulchrorum, ut apud Maff. Mus. Ver. p. 117 n. 2 et 3, quae iam supra p. 61 citatae sunt. Num quae alia habuerint ornamenta, incertum est, nam quae sunt *ornamenta VI viralicia* apud Grut. p. 395, 4, apud Smetium inscr. p. 151, 1 sunt *II viralia*, quod haud scio an multo rectius sit: certe frequentius esse constat.

Diximus VI virum, qui Augustalibus praeessent, honorem fuisse annuum; ac cum Augustalium certus nec ita magnus esset numerus, fiebat, ut multi ex iis vel maior pars essent IIIIII viri Augustales. Quoque magis ingravescente temporum difficultate homines munera omnia publica fugiebant, eo magis, quia minuebatur eorum numerus, qui solum VI viratum susciperent, ex Augustalibus fiebant IIIIII viri Augustales. Itaque hi inde ab saeculo altero post Chr. longe frequentiores sunt illis multaeque civitates sunt, in quibus Augustalium nulla, IIIIII virum Augustalium plurima sit mentio. Ut in civitatibus Galliae Narbonensis, Arelate, Aquis Sextiis, Nemausi, Lugduni, Narbone, non memini inventum esse a me quemquam Augustalem, at seviri Augustales commemorantur plurimi. Quid igitur? Num in his aliisque civitatibus, ubi VI viri Augustales modo commemorantur, nullos existimabimus fuisse Augustales, VI virosque solos sacra divorum Augustorum curasse? Non arbitror hoc equidem. Etenim Augustales coniicio munus suum auspicatos esse a seviratu, i. e. eos, qui vellent aut deberent Augustales

1) Animadverte hominem ipsum fuisse *VI virum Augustalem* coloniae Iuliae Paternae Claudiae Narbonis Marcii, at statuam eius tuendam commissam esse VI viris, quo quod potest gravius esse documentum, VI viros eosdem esse ac VI viros Augustales?

2) Hic autem rursus magnum argumentum afferri potest, eosdem fuisse VI viros et VI viros Augustales. Inscriptionem enim tumuli sui Trimalchio apud Petron. c. 71 esse vult hanc: C. POMPEIVS. TRIMALCHIO. MAECENATIANVS. HIC. REQVIESCIT. HVIC. SEVIRATVS. ABSENTI. DECRETVS. EST. cet., ut eum, qui VI vir Augustalis fuerit, seviratum gessisse intelligatur.

fieri, seviratum suscepisse, quem postquam gesserunt, nisi ad honores municipales accesserunt, fuerunt re Augustales, nomine, quoniam titulus honoris semel gesti perpetuo haeret, VI viri Augustales. Nam cum corpus fuisse VI virum Augustalium demonstraturi simus, fieri non recte poterit, ut non plus quam sex homines in eo fuisse statuamus, i. e. ipsos VI viros, qui quoque anno erant; quare in eo etiam fuisse eos, qui VI viri fuerant, omnes concedent. Rursus autem, si et VI viros et Augustales seorsim corpus suum habuisse putabimus, propter eas, quas dixi modo, causas nulli relinquentur Augustales. Itaque ubicunque corporatos fuisse VI viros colligi poterit, ibi existimandum erit, Augustales latere in hoc corpore. Apparet autem paulatim, cum, qui Augustales antea fuerant, VI viratum per vices adepti essent, ortum esse hoc VI virum Augustalium corpus, atque etiam in iis civitatibus, in quibus nullum fuisset ab initio corpus VI virum, potuisse accidere, ut, cum pauciores idonei essent ad munera et Augustalitatis et seviratus subeunda, quod fuerat antea Augustalium corpus, transiret in collegium VI virum. Ut Praeneste intelligimus principio Augustales fuisse ex ea inscriptione, quae supra citata est, in qua *ordo, Augustales, plebs* distinguuntur, at Hadriano imperatore hos Augustales transisse in VI viros manifestum fit ex *curatore VI virum,* quem paulo infra citabimus. Idemque Gabiis factum esse videtur indicare titulus apud Orell. n. 1368, qui positus est anno 169 p. Chr. In eo A. Plutius Epaphroditus in dedicatione templi divisionem fecisse narratur *decurionibus, VI viris Augustalibus, tabernariis intra murum negotiantibus,* et Hs. decem millia reipublicae Gabinorum legasse ea lege, ut ex usuris eius pecuniae die natali filiae suae *decuriones et VI viri Augustales publice in tricliniis suis epularentur.* Ubi cum nulla sit Augustalium mentio, quae videtur esse debuisse, probabile est, nullos amplius, qui ita nominarentur, fuisse. Iam quid mirum, quod VI virum Augustalium omnia eadem commemorantur, quae Augustalium fuisse constat, et *collegium* sive *corpus,* et *patroni* et *curatores?* Quod autem corporatos fuisse dico VI viros Augustales, exemplum iam supra p. 72 allatum est coloniae Narbonensis pluraque infra afferenda erunt: hoc quidem loco tres opulentissimarum civitatum inscriptiones ponemus, primum coloniae Arelatensis apud Mur. p. 976, 2 (ibid. p. 1110, 2), alterum Nemausensis apud Grut. p. 423, 6, tertium Massiliae apud Mur. p. 704, 9:

1.

D. M.
L. SECVNDIO.
ELEVTHERO.
NAVICVLAR. AREL.
ITEM. IIIIII VIR. AVG.
CORPOR. C. I. P. A.
SECVNDIA.
TATIANAE. FIL.
PATRI. PIENTISSIMO.

2.

C. IVLIO. Q. F. VOL.
NIGRO.
AVRELIO. SERVATO.
OMNIBVS. HONORIB.
IN. COLONIA. SVA.
FVNCTO.
IIIIII VIRI. CORPORAT.
NEMAVSENSES.
PATRONO.
EX. POSTVLATIONE. POPVL.
L. D. D. D.

3.

D. M.
ET. SECVRITATI.
AETERNI. Q. GALLI. EVPHEMI.
VI VIR. AVGVSTAL. CORPORATI.
CORNELIA. SECVNDA. MARITO.
PIENTISS.

In tribus autem his praecipuis Galliae Narbonensis civitatibus si IIIIII viri Augustales in corpus coierunt, idem probabile est in reliquis oppidis esse factum. Neque interest, quod in altera inscriptione *IIIIII viri corporati* appellantur, unde ne quis diversos esse VI viros et VI viros Augustales colligere velit, conferat titulum, quem Grut. p. 423, 5 habet, eidem huic C. Iulio Nigro, cum modo peracto VI viratu ad primos honores municipales accessisset, a *IIIIII viris Augustalibus corporatis* positum.[1]) Nec vero in Gallia modo, sed etiam in reliquis imperii Romani partibus, ubi Augustales florebant, corpus ac quasi collegium fuit VI virum. Documento afferam duos lapides Brixianos, priorem apud Mur. p. 529, 4 (Orell. n. 3927; minus recte Grut. p. 772, 7), alterum apud Grut. p. 419, 7 (Orell. n. 3913):

1.

CLODIAE. AC
HILLEE. SIVE. CY
RYLLEE. QVAE. VIXIT.
ANN. XXVIIII. MENS. $\overline{\text{XI}}$.
DIES. $\overline{\text{VII}}$. L. VETTIVS.
VRSINIANVS. MARITVS.
VXORI. INCOMPARABILI.
QVI. DEDIT. COLL. $\overline{\text{VI}}$ VIR.
SOCIOR. HS. N. M. VT. EX
VSVRIS. AEORVM. PROFVS.
AEI. FIANT. PARENT. ITEM.
ROSIS QVODANNIS. CELEBRENT.

2.

PIETATI.
HOSTILIAE.
HOSTILIANAE.
$\overline{\text{VI}}$ VIR. AVG. SOCI.
QVIBVS. EX. PERMISS. DIV. PII.
ARCAM. HABERE. PERMISS.
PRIMAE. BENEMERENTI. T. V.

Non dubium est, quin *collegium VI virum sociorum* prioris tituli sit idem ac *VI viri Augustales socii* alterius, modo illum iudicabimus tempore esse postponendum, quia in altero nondum nominatur collegium, sed modo socii VI viri. Quamquam habent etiam hi, quod proprium est collegii, arcam communem.[2]) In temporis autem significatione, cum a Divo Pio Brixianis VI viris arca permissa esse narratur, incertum est, utrum imperator ille hoc Brixianis modo VIviris permiserit, an omnibus. Sed illud tamen magis credo, ut singillatim civitatibus, quibus utile videretur, hoc ius datum sit. Quamquam utut hoc est, etsi collegium ipsum VI virum Augustalium non reperio commemorari in aliis civitatibus, eorum tamen mentio fit, ex quibus de collegio constituto coniiciendum sit. Ut Pisaurensis est haec inscriptio apud Oliverium n. 38 (Grut. 440, 6):

C. MVTRIO. C. F. PAL.
QVINTO. SEVERO.
Q. II VIR. $\overline{\text{Q}}$. ALIMENTOR.

---

1) Similis autem tituli huius Nemausensis est Narbonensis apud Grut. p. 454, 6 (Orell. n. 4241), in quo *decreto IIIIII virum Augustalium* socio alicui propter merita et liberalitates eius statua decreta esse narratur.

2) *Arca* quidem VI virum fuit etiam supra p. 73 in titulo Narbonensi. Memorabilis autem in priore titulo vulgaris et parum docta VI virum scriptura AEORVM et AEI, sic enim in marmore esse traditur. De *profusionibus* et *ut parentalia quotannis celebrentur*, vide similia exempla, quae habet Orell. n. 4414 sqq.

CVRATORI. KALENDAR.
PECVNIAE. VALENTINI. $\overline{\text{N}}$. HS. $\overline{\text{DC}}$.
PATRONO. $\overline{\text{VI}}$ VIR. AVG. ET.
COLLEG. FABR. CENTONAR. NAVICVLAR.
DECVRIONES. ET. PLEBS. VRBANA.
EX. DIVI. NERVAE. EPVLARVM. [1])
OB. MERITA.
L. D. D. D.

In quo qui *patronus Sevirum Augustalium* commemoratur, itemque *patrona VI virum Augustalium*, quae est in inscriptione Corfiniensi apud Mur. p. 203, 7, nonne demonstrant, corpus fuisse VI virum Augustalium? [2]) Atque in civitatibus Galliae Narbonensis, in quibus corpora VI virum fuisse ostendimus, fuisse patronos eorundem docet et Nemausensis titulus, quem supra attulimus, et hic Arelatensis apud Millin. in itin. Gall. III p. 494 (minus emendatus apud Grut. p. 448, 5; Mur. p. 1110, 1; Donat. p. 470, 11):

D. M.
C. PASQVI. OPTATI.
LIB. PARDALAE. IIIIII VIR.
AVG. COL. IVL. PAT. AR.
PATRON. EIVSDEM.
CORPOR. ITEM. PATRON.
FABROR. NAVAL. VTRICVLAR. ET.
CENTONAR. C. PASQVIVS.
EPIGONVS. CVM. LIBERTIS. SVIS.
PATRONO.
OPTIME. MERITO.

cui similis est Lugdunensis apud Grut. p. 399, 4 (Orell. n. 194), in quo C. Ulattius Meleager *IIIIII vir Aug. coloniae* appellatur *patronus eiusdem corporis, item patronus omnium corporum Lugduni licite coeuntium.* Denique ut patroni sunt corporis VI virum, sic sunt *curatores*, eo diversi ab illis, quod, nisi perpetui ab imperatore dantur, in certum tempus et in certam rem fiunt, cum patroni sint in perpetuum et honorem magis inanem quam munus gerant. Insigne talis curatoris exemplum est in inscriptione Narbonensi apud Millin. itin. Gall. III p. 407 (minus accurate edita apud Orell. n. 200):

ME]MORIE. AETERNA[E.
A]EBVTI. AGATHON[I.
IIIIII] VIRO. AVG. CORP. [COL. IVL.

1) Parum recta haec esse fatetur Oliverius, sed cum marmor ipsum nunc perierit, vera lectio vix inveniri poterit. Neque nomen hominis *C. Mutrius* esse credo. Fuit autem, utut appellabatur, *quinquennalis II vir*, *quaestor alimentarius*, *curator kalendari* et eius quidem partis, quae pertinebat ad pecuniam a Valentino aliquo legatam. Cf. Oliv. n. 253.

2) Alius patronus VI virum in Lucoferonensi colonia infra afferetur. Is *patronus ordinis seviralium et Augustalium* Casinatium, qui est apud Mur. p. 1104, 7, vix dubium est, quin ex Ligorii ingenio extiterit.

PAT]ER. AREL. CVRAT. EI[VS
DE]M. CORP. BIS. ITEM. IIIII[I.
VI]RO. COL. IVL. APTAE. NAV
T]AE. ARARICO. CVRATORI.
PECVLI. RP. GLANICO. QVI.
VIXIT. ANNOS. LXX.
AEBVTIA. EVTYCHIA. PATRO
NO. ERGA. SE. PIENTISSIMO.

Qui hic est *curator corporis VI virum Augustalium bis*, [1]) idem est Praeneste in insigni inscriptione apud Marin. act. fratr. Arv. I p. 19 (Orell. n. 2163), quae posita est *M. Scurreio Fontinali*, *sacerdoti Fortunae primigeniae lecto ex S. C.*, *seviro Augustali*, *curatori sevirum, quinquennali perpetuo dato ab imperatore Hadriano Augusto collegio fabrum tignariorum*, qua inscriptione nonnulli abusi sunt, ut VI viros fabrum fuisse demonstrarent. At qui Puteolis invenitur apud Grut. p. 110, 7 *Q. Aurelius Hermadion Sevir Augustalis et curator eorum*, Augustalium potius curator dicitur, nec inde colligendum, VI viris sublatis extitisse Puteolis VI virum Augustalium collegium.

Qua ratione paulatim sub imperatoribus cum ceteris honoribus municipalibus seviratus oneri esse coeperit evitarique ab iis, qui per opes suas sustinere vel possent vel cogerentur, de eo nihil nobis est notum; sed pertinet tamen eo, quod apud Mur. p. 1082, 7 (Orell. n. 3938) puer tredecim annorum appellatur VI vir, natus utrimque servis, ipse libertini generis; nec enim ad talem adolescentulum is honos pervenisset, nisi alii idonei homines defuissent. Ac cum fere a nobis explicata sint de VI viris Augustalibus, quae explicanda erant, concludamus totum hunc locum paucis, quae de ordine VI virum ac de loco, quem in civitatibus tenuerint, dicenda videntur esse. Et ordo quidem VI virum vel VI viralium invenitur in titulo Sentinati apud Mur. p. 168, 6 (Orell. n. 2229) et in Marsico apud Orell. n. 3940:

AVIDIAE. C. F. TERTVLLAE.
FLAM. MATRI. MVNICIPAL.
ORDO. VI VIRAL.
OB. MERITA. EIVS.

Q. NOVIO. Q FILIO.
SERG. IVCVNDO.
P. M. CVR. KALEND.
OMNIBVS. ONERIB.
HONORIBVSQVE.
PERFVNCTO. ORDO.
DECVRIONVM.
ET. SEXVIRVM. EX.
AERE. COLLATO. OB.
MERITA EIVS. CVIVS. OB.
DEDIC. DEDIT. DEC. EPVL. SING. HS. XX. N.
SEXVIR. EPVL. HS. VII. N. PLEBI.
EPVL. SING. HS. II. N. L. D. D. D.

1) Quamquam fateor paululum mihi suspectum esse hoc *bis*, viderique potius scriptum fuisse CORPORIS. Quod autem in colonia Aptensi Aebutius dicitur modo *VI vir* fuisse, dubito an ad eandem rem pertineat, quae supra p. 63 de VI viris et VI viris Augustalibus exposita est.

Qui in priore dicitur ordo VI viralium,[1]) i. e. proprie eorum, qui VI viratu functi sunt, in altero est ordo VI virum, nullo discrimine. In hoc autem praeterea memorabile, quod Augustalium ipsorum nulla fit mentio, ideo, opinor, quia Augustales cum omnes lateant in VI viris, horum nomine comprehenduntur. Itemque ***decuriones, VI viri, plebs urbana*** recensentur Tiferni apud Grut. p. 344, 6; ***decuriones et VI viri et municipes et incolae*** Aletrii apud Grut. p. 422, 3; ***decuriones, VI viri et plebs*** Sestini apud Maff. Mus. Ver. p. 362, 9 (Orell. 3902); ***decuriones, VI viri Augustales, municipes*** Matilicae apud Grut. p. 365, 6; ***decuriones, VI viri Aug., municipes*** Priverni apud Grut. p. 494, 10 (Mur. p. 1115, 2). Maiore diligentia ordines omnes recensentur in inscriptione Veientana apud Marin. act. fratr. Arv. p. 831 (Orell. n. 3706), memorabilisque est etiam altera Lugdunensis, quam afferam, apud Millin. itin. Gall. I p. 429 (minus emendata apud Grut. p. 431, 1; Orell. n. 4020):

CN. CAESIO. ATH[ICTO.
ADLECTO. INTER. C[ENTVMVIROS.
OB.] PIETATEM. ET.
M]VNIFICENTIAM. EIVS.
E]RGA. DOMVM. DIVINAM.
ET.] MVNICIPIVM. AVG. VEIOS.
CE]NTVMVIRI. ET. SEVIRI. ET.
A]VGVSTALES. ET MVNICIPES.
IN]TRAMVRANI. EX. AERE. QVOD.
IN.]ORCHESTRA. CONLATVM. EST.
LV]DIS. QVOS. FECERVNT.
V]ERGILIVS. COGITATVS.
I]VLIVS. SENECIO. II VIRI.

2.

SEX. LIGVRIVS. SEX. FIL.
GALERIA. MARINVS.
SVMMVS. CVRATOR. C. R.
PROVINC. LVG. Q. II VIRALIBVS.
ORNAMENTIS. SVFFRAG.
SANCT. ORDINIS. HONO
RATVS. II VIR. DESIGNATVS.
EX. POSTVL. POPVLI. OB. HONO
REM. PERPETVI. PONTIF. DAT.
CVIVS. DONI. DEDICATIONE. DE
CVRIONIB. ∘ V. ORDINI. EQVES
TRI. IIIIII VIRIS. AVG. NEGOTIATO
RIB. VINARIIS ∘ III. ET. OMNIB. COR
PORIB. LVG. LICITE. COEVNTIB. ∘ II.
ITEM. LVDOS. CIRCENSES. DEDIT. L. DDD.

In titulo Veientano, quem ex alia inscriptione apud Orell. n. 3737 scimus anno 256 p. Chr. esse positum, diligenter quattuor ordines civium distinguuntur, decuriones, qui quia centum sunt, appellantur *centumviri*, tum *VI viri*, tum *Augustales*, denique *municipes intramurani.*[2]) Lugduni secundum decuriones recensentur primum *equites Romani*, qui non sunt decuriones, (cf. inscriptionem arae Narbonensis supra p. 11 citatam), deinde *VI viri Augustales*, et *negotiatores vinarii*, quos imprimis locupletes in hac colonia fuisse hinc colligendum est, denique cetera corpora artificum, ut etiam in titulo Rudiensi p. 49 allato vidimus Mercuriales recenseri post Augustales.

Iam a VI viris Augustalibus ut redeat disputatio nostra ad Augustales ipsos, quorum illi

---

1) Qui titulus apud Grut. p. 320, 12 item habet ordinem seviralem, parum recte descriptus est.

2) Arbitror, quia multi Veientes imprimis Romae habitarent, peculiariter hic significari *intramuranos* idemque fit in alio titulo Veientano apud Orell. n. 110.

erant praesides, persequamur ceteros eorum honores ac quasi magistratus. Adiungendi autem sunt VI viris proxime *Quinquennales*, quos et reliqua collegia et hoc Augustalium habebat. De quorum origine et muneribus cum multa dici possint, nolumus hoc loco eam quaestionem et ipsius natura et virorum doctorum variis opinionibus difficillimam ingredi, quippe quae non consistat in hoc uno collegio, sed eadem ad reliqua omnia et ad ipsorum municipiorum rempublicam pertineat. Satis igitur erit, ne quid praetermittere videamur, exempla nonnulla afferre, in quibus quinquennales reperiantur. Talis est titulus Salernitanus apud Grut. p. 473, 8 (Mur. p. 197, 1; Orell. n. 4106):

T. ESTIO. ELPHIDIANO. VIRO. AVG. QQ.
T. ESTIVS. ELPHIDIANVS. PRISCVS.
ET. PRISCIANVS. ET. FELIX. FILII. HEREDES.
PATRI. DVLCISSIMO.

In quo etsi corruptus est vs. 1, in quo constat scribendum esse *VI viro*, [1]) certus tamen est *VI vir Augustalis quinquennalis*. Idemque invenitur Aquileiae apud Marin. act. fratr. Arv. p. 159 (Orell. n. 4082), ubi C. Veratius C. f. Italus appellatur IIIIII VIR. QVINQ., et Mediolani apud Grut. p. 1098, 3, et rursus alius Aquileiensis apud Maff. Mus. Ver. p. 145, Praenestinus sevir Augustalis quinquennalis apud Orell. n. 3929, Reatinus apud Grut. p. 414, 2; atque etiam in Ostiensi lapide apud Maff. Mus. Ver. p. 114, 2 (Orell. n. 3921), ubi in commentatione nostra de Lavinio et Laurentibus Lavinatibus (Berol. 1845) p. 27 *quinquennalem Laurentium Lavinatium* reperiri existimabamus, dubitandum nunc esse censemus, an potius *VI vir Augustalis quinquennalis* intelligendus sit eoque magis, quod in Ostiensi inscriptione apud Fabrett. p. 408, 332 alius L. Carullius Epaphroditus $\overline{\text{VI}}$ VIR. AVG. IDEM. $\overline{\text{QQ}}$ invenitur. [2]) *Patroni* Augustalium raro commemorantur, propterea quod, quibus temporibus patronorum consuetudo increbrescere coepit, Augustalium memoria a VI viris oblitterabatur; sed certa tamen eorum mentio est Allifis apud Mur. p. 1040, 2 (Orell. 126):

M. AVLIO. M. F.
ALBINO.
PRAEF. COH. PRIM.
BEVCOR. II VIR.
QVINQ. QVAESTOR.
CVRATORI. REIP.
CVBVLTERINORVM.
PATRONO.
ET. ALLIFIS. II VIRO.
QVINQ. Q. PATRONO.

1) Prorsus autem recedit a Muratorio Gruterus, quem sequitur Orellius. Nos hic, cum Grut. et Aldo parum diligenti auctore utatur et quaedam aperte falsa habeat, Muratorio credere maluimus.

2) Augere poteramus haec quinquennalium exempla, si inscriptiones Ligorianas respicere vellemus. Ut VI virum quinquennalem finxit Ligorius, apud Mur. p. 77, 14, nec satis fidem habeo ei, quem Grut. p. 45, 6 ex lapide Ostiensi exhibet. Cf. Orell. n. 3930.

AVGVSTALES.
L. D. D. D.

ubi cum existimem, quod prius appellatur *patronus*,[1]) pertinere ad patronatum reipublicae Cubulterinorum, certe alter patronatus nisi ad Augustales referri non poterit. Itemque *patronus ordinis Augustalium* est apud Mur. p. 203, 8, Carseolis apud eund. p. 515, 3, Reate apud Grut. p. 414, 2. *Curatorem* non inveni praeter eum *curatorem arcae Augustalium*, qui supra p. 41 allatus est, et Neapolitanum p. 40.

Tum quodvis collegium, quia habet arcam communem, habere oportet *quaestorem* huius arcae, cui non dubito quin in omnibus Augustalium corporibus certi homines praefuerint, quamquam memoria eorum Allifis solum videtur esse servata. Nam Allifanus titulus est hic apud Grut. p. 460, 9:

C. PVRELLIVS. PAPIA. AVG.
ET. QVAESTOR. AVG. ALLIFIS. SIBI.
ET. C. ATILIO. NATALI. AVG. ET.
Q. AVG. ALLIFIS. ET. ATILIAE.
IARINAE. CONCVBINAE. ET.
C. ATILIO. QVARTIONI. AMICO.
H. M. H. N. S.

Hic homo cum videatur fuisse ingenuus, duo reliqui Augustalium quaestores, M. Pontius Eleutherus apud Grut p. 457, 3 et alter apud Grut. p. 464, 4 fuerunt libertini generis. Cur autem tam raro et Allifis modo mentio fit quaestorum? Ideo, ut opinor, quod ex ipsis VI viris fieri solebant Augustalium quaestores in eorumque nomine latent, videaturque adeo posse statui, ipsos hos quaestores Allifanos fuisse VI viros ac quaestorum nomen apposuisse, ut significarent, quod munus in VI viris gererent. Denique collegium, quod scholam suam, quod triclinia haberet, oportebat habere servos suos, qui ea curarent; itaque *familiam Augustalium* commemorari vidimus supra p. 71 in titulo Ostiensi, eodemque pertinebunt *Augustales aeditui*, qui sunt in inscriptione Kellermanniana apud O. Iahnium in spec. epigraph. p. 49, 1.

Absoluta sunt, quae ad universam Augustalium et VI virum Augustalium rationem intelligendam pertinent ac concludi posset haec commentatio, nisi superessent nonnulla, quae cum non omnium municipiorum communia, sed quorundam quasi propria sint, commemorari tamen hoc loco utile videtur esse. Sunt autem haec imprimis, primum ut dicam de *VI viris iunioribus et senioribus*, deinde ut *de VIII viris Augustalibus*. Alia quaedam aut iam ab aliis viris doctis refutata sunt aut brevius possunt confici. Ut *de IIII viris Augustalibus*, qui apud Donat. I p. 86, 3 et p. 87, 4 videbantur esse, sufficit prorsus, quod Orell. n. 3960 annotat, errore eos esse natos, propterea quod VI viri ipsi scribi solerent IIIIII viri. De III viris Augustalibus, qui inveniuntur in duabus inscriptionibus apud Orell. n. 3961 et 3962 Ami-

1) Erratum autem est in hoc titulo vs. 4, ubi esse oportet BREVCOR. i. e. *Breucorum*, quorum cohortes saepe commemorantur. Nec vs. 10 *Q.* rectum esse sed abesse oportere censeo. De Cubulterinis videantur, quae apud Murat. et Orell. afferuntur.

terni et Peltuini, quamquam fide digni sunt, quorum auctoritate nituntur, tamen nondum audeo pronunciare. Hoc fateor mihi nec Morcell. de stil. inscr. I p. 18 probari, qui, ut in maioribus oppidis fuerint VI viri, ita in minoribus fuisse putat III viros, nec Orellium l. l., qui de III viratu alio cogitandum esse ait. Nullus enim mihi notus III viratus, quem libertini gerere potuerint; libertini autem illic dicuntur III VIR. AVG. Tum quod de *mulieribus* in Augustalium numerum receptis narrabat Morcell. de stil. inscr. I p. 18, supra p. 31 ostensum a nobis est parum accurate descriptis titulis niti; de decuriis, quas idem vir doctus in collegiis Augustalium fuisse existimabat, quae nullae fuerunt, vide p. 83. Denique in duabus inscriptionibus in agro Comensi repertis, quarum prior est apud Grut. p. 471, 5 (Orell n. 3936), altera apud eund. p. 358, 6, [1]) (Orell. n. 4071) inveniuntur VI VIR. VRB., quos Orellius ad n. 3936 negat recte a quibusdam explicari *VI viros Urbini*, esse potius *VI viros urbanos.* At urbanos equidem nisi dupliciter non arbitror posse intelligi, ut aut ii dicantur VI viri, qui in urbe Roma, aut ii, qui Comi fuerint; nam et in agro Comensi hi tituli reperti esse narrantur et factum est nonnunquam, ut *urbs* appellaretur locus, in quo sedes quasi esset reipublicae. [2]) Iam Romae nullos nec Augustales nec VI viros fuisse supra demonstratum est, tum Comenses si dicerentur VI viri, sequeretur, ut item fuissent Augustales in praefecturis civitatis Comensis. Hoc autem ideo statui non potest, quia Augustales ubique cum decurionibus coniuncti erant, qui cum uni essent in civitatibus, uni item fuerunt Augustales. Quare sane *VI viros Urbini* in duabus his inscriptionibus dici censeo, ac fuisse Urbini et Augustales et VI viros ostendit insignis titulus apud Mur. p. 206, 3.

Maiorem difficultatem habent *VI viri iuniores et seniores.* In quorum ratione explicanda prohibere debebimus eorum opinionem, si qui *collegia iuvenum* et *sodales* et *lusus iuvenum* et *iuvenalia* denique huc pertinere existimabunt, quorum satis frequens est memoria in inscriptionibus. Eorum enim et originem tempore longe posteriorem et rationem longe diversam fuisse demonstravit imprimis Odericus l. s. l. p. 104 sqq. Neque ea ratio conturbatur eo, quod IVVENES. AVG. i. e. vel *iuvenes Augusti* vel *iuvenes Augustales* appellantur, imprimis in lapide Amerino apud Grut. p. 1028, 1 (ibid. p. 450, 7; Orell. 3949 et n. 4100); nam alter titulus Campanus apud Grut. p. 390, 6, vereor, ne parum accurate descriptus sit; certe eum intelligo eo ipso loco, quo IVVENES. AVG. commemorantur, haud dubia habere vestigia corruptionis. Sed si fuerunt et Capuae et Ameriae *iuvenes Augustales*, hocque illi collegio erat

1) Recte haec explicatur apud Orellium ita, ut *quaestor anni primi* referatur ad centuriam centonariorum dolabrariorum scalariorum, qui in unum corpus coniuncti et arcam et quaestorem suum habebant annosque numerabant a condito collegio. Cf. supra p. 44. Item CVR. PRAESIDI recte Hagenbuch. apud Orell. videtur interpretari *curiae praesidi.*

2) Ut vide quae dicta sunt in commentatione nostra de Lavinio et Laurentibus Lavinatibus p. 15.

nomen, non magis id mirum erit, quam *iuvenes Dianenses*, qui fuerunt Nepete apud Grut. p. 262, 2 (Orell. n. 879), quam *iuvenes Cisiani* Ostiae apud Fabrett. p. 731, 450 (Orell. n. 4109), quam *iuvenes a fano Iovis* in Gallia Narbonensi apud Orell n. 4097, quam *iuvenes Forenses* Pisauri apud Orell. n. 4069. Diversa autem fuisse haec iuvenum collegia ab Augustalibus cum illi tituli ostendunt, in quibus magistri iuvenum iidem narrantur fuisse VI viri Augustales aut alios honores Augustalium gessisse, ut Lucoferoniae apud Orell. 4099 M. Silius Epaphroditus dicitur *patronus sevirum Augustalium, magister iuvenum*, ut Reate apud Grut. p. 414, 2 T. Fundilius Geminus est *sevir Augustalis, magister iuvenum*, sed multo etiam magis hoc inde apertum est, quod collegium iuvenum Brixianorum primum institutum esse narratur, cum L. Cornelius Prosodicus esset VI vir Augustalis apud Grut. p. 397, 1 (Orell. n. 4094) et quod Anagniae apud Mur. 652, 2 (Orell. 4101) lusus collegiumque iuvenum renovatum esse dicitur munificentia cuiusdam P. Vegellii. Nunquam enim intermissum esse Augustalium collegium, in quibus civitatibus semel institutum erat, certum esse debet.

Quare cum constet iuvenum haec collegia nihil habuisse cum Augustalibus coniunctum, quo tandem referendi erunt *VI viri iuniores et seniores*, quorum memoria satis frequens est? De iis haec observavi. Primum inveniuntur in paucis oppidis Italiae superioris, quam appellamus: extra eam duo modo mihi innotuerunt tituli Lusitani, in quorum altero apud Grut. p. 357, 1 est VI vir iunior, in altero apud eund. p. 442, 9 (Mur. p. 1058, 7; Orell. n. 3941) VI vir senior. Sunt autem hi:

D. M. S.
C. ANTONIO. C. F. FLA
VINO. VI VIRO. IVN.
HAST. LEG. II. AVG. TORQ.
AVR. ET. AN. DVPL. OB. VIRT.
DONATO. IVN. VERECVN
DA. FLAM. PERP. MVN. EBOR.
MATER. P. C.

C. NVMISIO. C. F. FVSCO.
VI VIRO. SEN.
TATINIA. Q. F.
FVLVIANILLA.
VXOR.
PERMITTENTE. ORD.
MEROBRIG.

qui cum non dubii sint, colligi licet, eandem VI viratus rationem, quae in Italia superiore fuit, fuisse in quibusdam Lusitaniae civitatibus; nam Ebora et Merobriga maxima Lusitaniae oppida erant. Praeterea VI viros iuniores commemorantur imprimis Mediolani, [1]) tum Brixiae D. Iunius Valentinus apud Mur. p. 200, 1, tum Laude Pompeia L. Valerius, Secundini f., apud Mur. p. 62, 1 (ibid. p. 1092, 7; Orell. n. 3945), tum Domitius Cn. f. Placidus in incerta civitate Italiae superioris apud Grut. p. 403, 4. Seviros seniores reperi praeter Mediolanum et Lau-

1) Eodemque pertinere existimo *C. Novellium, C. f., VI virum iuniorem* apud Grut. p. 14, 7. (cf. Grut. p. 1098, 3) et *P. Quartios, P. f., Victorem et Primum, VI viros iuniores*, quos accuratissime habet Grut. p. 1007, 1 (Orell. n. 3946), parum recte Grut. p. 14, 10 et p. 460, 13; Mur. p. 6, 1 et p. 1031, 1.

dem Pompeiam Comi apud Murat. p. 62, 3 (Orell. n. 3944), et alterum memorabilem Velleiae apud Orell. n. 3916:

HERCVLI.
SACR.
M. VALERIVS. M. F.
SECVNDINVS.
VI VIR. SEN. ET.
. . . .

V. F.
P. ONICIVS.
VELEIATIVM. LIB.
SEN. AVG. IIIIII VIR.
SIBI. ET.
AEBVTIAE. SALVIAE.
CAERELLIAE. LIBERT.
VELEIATIVM.
CLADO.
L. GRANIO. L. F. PRISCO.

In horum titulorum priore est *VI vir senior et Augustalis* (ita enim explenda est lacuna), in altero, id quod singulare prorsus est, *senior Augustalium VI vir*. Deinde omnes, quotquot invenire potui, VI viros iuniores video esse ingenuos partimque honoribus municipalibus conspicuos. Afferam duos Mediolanenses, unum apud Grut. p. 49, 2 (Orell. n. 1543), alterum apud Grut. p. 488, 11 (Mur. p. 760, 3; Orell. n. 3947):

HERCVLI.
IMPETR. SACR. [1])
C. CALVISIVS.
SECVNDINVS.
VI VIR. IVN. DECVR.
ITEMQ. ARAM.
V. S. L. M.

V. F.
C. VIRIVS. VERVS.
O. V. F. MED.
VI VIR. IVN.
PONT. ET. DECVR.
ITEM. MANIBVS. FILIOR.
SVORVM.
C. VIRIO. VIRIANO.
ET. VIRIAE. C. F. VERAE.
QVI. VIXERVNT. ANN.
QVINOS. DENOS.

Uterque horum cum ingenuus esset, primum VI vir iunior, tum decurio fuit et ad honores municipii accessit[2]); C. Virius praeterea pontifex nominatur. Eiusdem generis sunt Mediolani *T. Albucius T. f. Ouf. Primus VI vir iunior* apud Grut. p. 350, 2; *Vitellii Veranius et Constans Q. Vitellii Saturnini filii, VI viri iuniores* apud eund. p. 488. 12; *Q. Campilius Q. f. Virilio* apud eund. p. 706, 1; *Q. Sollonius Vervecius Q. f. VI vir iunior* apud eund. p. 1043, 3; *P. Ve-*

1) i. e. *Herculi impetrabili sacrum.* Vide Gudium apud Grut. l. l.

2) Attuli autem has inscriptiones maxime, ut commemorarem errorem Scaligeri, qui cum ex lapide Tiburtino apud Grut. p. 1088, 12 vel conficto vel corrupto (cf. supra p. 31) sibi persuasisset, decurias fuisse collegii Augustalium, nescio qua ratione hos homines voluit fuisse *VI viros iuniorum decuriae.* Secutusque eum videtur esse Morcell. de stil. inscript. I p. 18.

tius Gallus VI vir iunior et pontifex apud eund. p. 756, 9; *P. Ursius P. f. Paullus VI vir iunior et curator aerarii* apud eund. p. 2026, 2 (Grut. p. 490, 8); *Mansuetus et Firmus, filii Ti. Firmasi, VI viri iuniores* apud Mur. p, 11, 8; *Q. Constans Ouf. VI vir iunior* apud Maff. Mus. Ver. p. 369, 2 (Mur. p. 693, 2), nec dubitandum erit, quin *C. Spurius Valens VI vir iunior* apud Mur. 737, 1 et *L. Valerius VI vir iunior* apud Grut. p. 481, 7 item fuerint ingenui. Titulum Brixianum apud Grut. p. 175, 7, in quo esse dicitur VI VIR. BRIX. IVN., nec fide satis dignum nec emendatum esse existimo. At VI viros seniores, quos contrarios esse oportet VI viris iunioribus, quamquam supra attuli duos ingenuos, longe tamen plurimos animadverti esse libertini generis, ut Mediolani *P. Valerium P. lib. Palat. Tacitum VI virum seniorem et Augustalem* apud Grut. p. 481, 3 (Mur. p. 205, 3; Orell. n. 3925 et 3943); *M. Petronium Philomusum VI virum seniorem Augustalem* apud Mur. p. 203, 1, et *P. Tutilium Callifontem VI virum seniorem* apud Grut. p. 477, 1; et ἀνώνυμον aliquem *VI virum seniorem* apud Grut. p. 492, 2, et *M. Fulvium Phillium VI virum seniorem* apud Grut. p. 413, 6; et *C. Geminium Elegantem VI virum seniorem* apud Grut. p. 416, 3. Dubium est libertinus ingenuusne fuerit, *Petronius Iucundus* apud Grut. p. 449, 5.[1]) Non is sum, qui a me omnes VI viros iuniores et seniores, qui in inscriptionibus Latinis commemorentur, allatos esse existimem, sed satis tamen multos arbitror, ut inde colligam, quae eorum ratio fuerit. Constitit igitur haec sive appellatio sive VI virum distinctio imprimis Mediolani, tum in paucis aliis civitatibus, ut idem homo, qui Mediolani esset VI vir iunior, in alia civitate si gereret VI viratum, appellaretur modo VI vir. Ostendit hoc inscriptio Laude Pompeia inventa apud Mur p. 62, 1 (Orell. n. 3945), in qua L. Valerius *VI vir iunior* Mediolani, VI vir Vercellis appellatur. Tum VI viros iuniores videmus nunquam vocari Augustales, at qui seniores sunt, appellantur modo *Augustales* modo *et Augustales*, idque in ea civitate, in qua intellexerimus supra p. 62 seviros saepe separatim commemorari ab Augustalibus, tantum valebit, ut VI viros iuniores existimemus non fuisse Augustales, at esse potuisse VI viros Augustales. Quid igitur? Supra cum dictum sit, seviratum fuisse aut principium honorum municipalium aut praemium cumulumque dignitatis eorum, qui ad honores aspirare vel nollent vel nequirent, nonne coniiciendum est, VI viros iuniores appellatos esse eos, qui cum ingenui essent curiamque ingredi statuissent, antea Augustalibus praeessent, VI viros seniores eos, quibus seviratus summum esset dignitatis fastigium? Itaque in inscriptione Mediolanensi paulo supra allata patrem, qui libertinus esset, videmus vocari

---

1) Qui affertur Laude Pompeia *M. Cuppellius Chariton VI vir senior* apud Mur. p. 1052, 8, Mediolani potius collocandus erit, si ullus fuisse existimabitur. Fragmentum est mutilum et corruptum, ut apparet ex Grut. p. 384, 5.

VI virum seniorem, filium, quippe qui cum ingenuitate ius honorum adeptus esset, dici *VI virum iuniorem.* Rei ipsius nullum censeo fuisse discrimen nec quicquam eiusmodi, ut certus numerus ex VI viris esset iuniorum, certus seniorum; nam et Mediolani et Comi non pauci sunt tituli, in quibus cum ingenui homines tum libertini dicantur simpliciter VI viri vel VI viri Augustales vel denique VI viri et Augustales. Quae autem origo huius nominis fuerit, obscurius est. Quamquam non dubito equidem, quin repetenda sit ab equitibus Romanis eorumque seviratu. Nam Tacit. Annal. II, 83 inter honores Germanico defuncto habitos enumerat hoc: *Equester ordo cuneum Germanici appellavit, qui iuniorum dicebatur.* Quo loco parum mihi sufficit Ernestius, qui, quod equites κατ' ἐξοχὴν dicantur *iuventus*, ideo nomen cuneo fuisse putat *iuniorum;* quod probari posset, omnes quattuordecim ordines equitum Romanorum si iuniorum dicerentur. Nunc intelligo discrimen inter equites ipsos significari, eosque arbitror equites equo publico dici, qui ad summam rempublicam et dignitates senatorias accessuri erant, quorum condicio maximam cum Germanico defuncto habebat similitudinem. Ac quoniam equitum Romanorum hoc discrimen in theatro valuit, fuerit, ut etiam Mediolani ceterisque in civitatibus ii, qui iuniores essent VI viri, peculiarem suum locum in spectaculis haberent; ceteros certe Augustales habuisse supra p. 56 commemoratum est.

Superest, ut dicamus de *Octoviris Augustalibus*, qui in Piceno Firmi et Falerione inventi sunt. Eorum memoriam, sex inscriptionibus servatam, nuper, cum omnes octovirum titulos componeret, diligenter collegit doctus vir Gallus Noel des Vergers in annalibus philologiae Parisiensibus (Revue de philologie) Tom I p. 532. Quas inscriptiones, cum commentatio illa non multis nota pauciorumque in manibus sit, hic repetendas esse duxi, addidique septimam, quam eodem pertinere intelligo.

1.

D. M.
C. VALERIO. C. L.
ONESIMO. VIII VIR.
TREBIA. CERVIA.
CONIVGI. BENEMER.

2.

C. FVFICIO.
C. L. GENIALI. VIII
VIR. AVG. FIRMI.
ET. FALERIONE.
CARDANA. T. F.
PROCVLA. VXSOR.
POSVIT.

3.

D. M. S.
P. FVLLONI.
P. F. CELERI.
VIII VIRO.
FVLLONIA. P. F.
CELER. NAENIA.
PATRI. PIISSIMO.

4.

OSSA.
Q. LAETORI.
LVCRIONIS.
VIII VIR.
D. D.

5.

C . . S . . .
T. ACCAI.
T. L. PHILADELP.
VIII VIR.

6.

M. SEPTIMI. ANTEROTIS.
VIII VIR. FIRMI.
SEPTIMIA. MIATLICE.

7.

PVBLICIO. OPTATO.
VIII VIR.
QVINTILIA. PROCILLA.
BENEMERENTI. VIRO.
VXOR. L. M. POS.

Ex his primam habuit iam Mur. p. 687, 7, alteram id. p. 1047, 2 (Orell. n. 85), tertiam id. p. 703, 2 (Orell. n. 3965), quintam Fabrett. p. 402 n. 299, septimam Mur. p. 738, 4, duae reli quae ineditae, sed in sexta vs. 3 emandandum esse M. L. ATTICE Borghesius et Vergersius recte statuerunt. De his igitur inscriptionibus quid existimabimus? Quas quidem ad municipales honores non pertinere inde manifestum est, quod ex VIII viris quinque sunt libertini. Ideo equidem in his octoviris Augustalibus simili ratione utendum esse arbitror atque in ceteris VIII viris, municipalibus magistratibus, utitur Borghesius l. l. p. 534, qui, ut Romae erant XX viri, ita in nonnullis municipiis existimat in unum numerum comprehensis omnibus magistratibus effectos esse VIII viros, eamque sententiam confirmat sane, quod plerumque additur, cuius provinciae curam aliquis in VIII viris gesserit, ut *VIII vir aediliciae potestatis* vel *VIII vir aerarii* vel *VIII vir II virali potestate* dicitur. Similiter igitur, si primum nu meres VI viros, qui quasi magistri erant collegii, iisque addas duos quaestores, ipse ille VIII virum Augustalium numerus efficietur, quorum ratio eadem prorsus erit, quam supra VI virum fuisse demonstratum est.

Typis Brandesii & Schultzii.

neugriechischen Poesie, von **A. Ellissen.** Betrachtungen eines deutschen Patrioten bei dem Aufstande in Athen am 3—15. Sept. 1843. Friederich Hölderlin, von **Theodor Opitz.** Der Thurmbau zu Köln. Arbeiterbewegungen. Der christliche Staat.

Inhalt des dritten Bandes:

Die deutschen Studentenverhältnisse in der Gegenwart. Blicke in die geheimen Verbindungen unserer Zeit. Vorlesungen über Geschichte der philosophischen Staatslehre. Ableitung der modernen Rechts- und Staatsprincipien aus dem christl. Princip. **Vermischte Aufsätze:** Apostelgeschichte. Die Universitätsrede des Hrn. Eichhorn in Königsberg am 25. Aug. 1844. Ueber das persische Theater. Obermann, von **Senancour.**

Inhalt des vierten Bandes:

Polen vom Jahr 1815 bis auf unsere Tage. Ueber den Religionsunterricht auf Schulen, von **Gustav Alberti.** Der preußische Landtag oder die Provinzialstände in Preußen im J. 1845. Hannovers Handels- und Schifffahrtsvertrag mit Engl. Blicke in Hannovers Politik und Verhältniß zu Deutschland. Die Religion des Herzens, ein Beitrag zur Culturgeschichte des 18. Jahrhunderts, von **G. Julius.** Vorlesungen über die Geschichte der philosophischen Staatslehre, von **K. Nauwerck.** **Vermischte Aufsätze:** Anastasius Grün. Actenstücke, betr. das Verbot der Schrift „Bilder aus dem Soldatenleben v. **K. Kuttenberger**" durch das königl. preuß. Ober-Censur-Gericht.

1 Thlr. 10 Ngr.

Die Abenteuer des Herkules Kühn oder Guyana im Jahre 1772. 2. Aufl. 8. brosch. 20 Ngr.

Die Kunst zu gefallen. 2. Aufl. in 8. brosch. 10 Ngr.

Der Oberst von Sürville. 2. Aufl. in 8. br. 10 Ngr.

Paula Monti oder das Hotel Lambert. 8 Bändchen. 16. brosch. 1 Thlr. 10 Ngr.

Therese Dunoyer. 8 Bdchn. 16. br. 1 Thlr. 10 Ngr.

Der Comthur vou Malta. 8 Bändchen. 16. broschirt. 1 Thlr. 10 Ngr.

Kardiki. 3 Bändchen. 16. brosch. 15 Ngr.

Der Wartthurm von Koat-Ven. Roman aus dem Seeleben 1780—1830. 12 Bändchen. 16. br. 2 Thlr.

Plick und Plock. 3 Bändchen. 16. brosch. 15 Ngr.

Der Salamander. 5 Bändchen. 16. br. 25 Ngr.

Atar-Gull. 3 Bändchen. 16. brosch. 15 Ngr.

Latreaumont. 7 Bändchen. 16. br. 1 Thlr. 5 Ngr.

Mommsen de collegiis et sodaliciis Romanorum
Kiliae 1843.
Borghesi in Memorie dell' Instituto di corrispondenza
archeologica fasc. III. p. 161 sqq.
Egger Examen critique des historiens anciens de
la vie et du règne d'Auguste, par A. E. Egger
Paris 1844
Goettling Funfzehn Römische Urkunden auf Erz
und Stein, Halle 1845